FRIDERICI HEVSINGERI
SERENISS. DVCI SAXON. GOTH. ADMINISTRATORI DVCAT. ISENACENS.
AB EPISTOLIS

COMMENTATIO
DE
IVRE PECVLII ADVENTICII EXTRAORDINARII,
TAM
ROMANIS QVAM GERMANICIS
LEGIBVS ATQVE MORIBVS
CONSTITVTO.



ISENACI,
APVD MICH. GOTTLIEB. GRIESBACHIVM
MDCCLII.

VSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTIS-
SIMO COMITI AC DOMINO

DOMINO

HENRICO

S. R. I.

COMITI DE BVNAV

NASTAE IN DAHLEN, DOMSEN, NOE-
THENIZ, GOELLNIZ, GROSTAVSCH-
WIZ, CETERA

TRIQVE CAESAREAE MAIESTATI
CONSILIIS SANCTIORIBVS, PROPRIN-
IPI DVCATVS ISENACENSIS, COLLEGII
ATVVM PROVINCIALIVM DVCATVS AL-
TENBVRGENSIS DIRECTORI ATQVE
QVAESTORI SVPREMO, ORDINIS
IOANNITICI EQVITI.

DOMINO MEO GRATIO-
SISSIMO.

ILLVSTRISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME COMES

DOMINE GRATIOSISSIME.



ot tantaque a TE, ILLVSTRISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME COMES, beneficia in me benignisſime ſunt collata, vt ingrati animi reprehenſio mihi metuenda ſit, ſi vllum teſtandae pietatis locum prae-

termitterem. Quare occaſionem nactus, hoc qualecunque meae erga TE venerationis monumentum ſtatuendi, ea vtendum esſe duxi. Dubitasſem ſane, tenui huic et TE, ILLVSTRISSIME MAECENAS, non ſatis digno opuſculo TE patronum adoptare, quem incredibilis rerum ſcientia aeque ac magnificentisſimorum munerum ſplendor non Germaniae ſolum, ſed toti fere Europae venerabilem reddidit: TVA vero erga bonas litteras beneuolentia ſumma ,atque admirandum illud artes tuendi et fouendi ſtudium omni depraedicatione maius ſperare me iusſit, fore, vt ſpecimen hoc meae in iurisprudentiae ſtudio poſitae operae TIBI conſecrans veniam impetrem. Id mihi non ſumo, vt, quamuis id ipſum conſuetudo haud

vitio-

vitiosa exigat, virtutes TVAS, quas venerari facilius, quam verbis exaequare possum, hoc loco commemorem. Longe alia hae desiderant praeconia et consecutae sunt. Quod enim angustius TIBI obuenire potuisset testimonium, quam quod TE a Carolo VII. Romanorum ac Germanorum quondam imperatore in numerum amicorum olim adscitum Franciscus I. qui iam Germaniae imperat, a consiliis secretioribus sibi esse voluit, quodque Augustissima Maria Theresia Coniugis vestigia secuta TE talia non opinantem, eodem honore mactauit. Nihil iam dico de administratione principatus Isenacensis suscepta, quam ea sapientia, ea prudentia geris, vt TE palladium a SERENISSIMO FRIDERICO, PATRE PATRIAE CLEMENTISSIMO, sibi

ſibi datum ciues Iſenacenſes vna voce praedicent. Illud ſolum addo, me, vt TIBI, ILLVSTRISSIME COMES, longisſimum vitae ſpatium et par animo corporis firmitas contingat, atque vt bonis litteris praeſidio eſſe nunquam deſinas, optare. Ceterum a TE precibus humillimis peto, vt eam, quam maximam expertus ſum, conſerues gratiam

ILLVSTRISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI NOMINIS TVI

Dabam Iſenaci
a. d. XVI. Cal. Oct.
clɔ Iɔcc Lx.

cultori deuotisſimo
FRIDERICO HEVSINGERO.



CAPVT I.

DE PECVLIO ADVENTICIO IN GENERE.

I. Liberi Romanorum olim nihil habebant proprii,
II. Peculia licet ipsis concederentur.
III. Introducta sunt postea peculia castrensia et quasi castrensia,
IIII. Itemque aduenticia.
V. Definitio peculii et aduenticii diuisio.
VI. De maiorum nostrorum iure adquirendi per liberos.

I.



Recte Iustinianus, (a) *ius potestatis, inquit, quod in liberos habemus, proprium est ciuium Romanorum. Nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habent potestatem, qualem nos habemus.* (b) Nam, cum liberi in dominio essent quiritario patrum, (c) praeter vitae et necis arbitrium et licentiam vendendi, (d)

A adqui-

(a) §. 2. I. de patr. potest.
(b) Confer. Consultiss. Otto ad d. §. Inst.
(c) Heinecc. antiqq. iur. l. I. t. 9. §. 1.
(d) Dionys. Halicarnass. l. II. antiqq. Rom. c. 26. p. 94. edit. Hudson.

adquirendi quoque ius per eos his erat permissum. (e) De quo elegantissime Dionysius Halicarnassensis: (f) Ῥωμαίοις οὐδὲν ἴδιον ἐστι κτῆμα ζώντων ἔτι τῶν πατέρων, ἀλλὰ καὶ τὰ χρήματα καὶ τὰ σώματα τῶν παίδων, ὅ, τι βούλονται διατιθέναι, τοῖς πατράσιν ἀποδέδοται. *Apud Romanos liberi patribus adhuc viuentibus nihil proprium possident, sed et ipsis pecuniis et corporibus filiorum patribus arbitratu suo vti permissum est.*

II.

Solebant quidem parentes liberis nonnunquam bona quaedam concedere, quo, vt de seruis Varro, (g) alacriores fierent, reique familiaris studiosiores, quae *peculii* nomine (h) appellabantur: sed ea eiusdem erant conditionis, cuius peculium serui, id est, quod seruus permissu domini separatum a rationibus dominicis habebat. (i) Nihil enim in eo iuris habebant, praeter administrationem, patre et dominium et fructus sibi vindicante. In eo itaque contrahere quidem, imo et nouare (k) et omnia fere, quae domino licet, peragere poterant, non vero donare. (l) Quidquid etiam adqui-

(e) pr. I. per quas person.

(f) l. VIII. antiqq. Rom. c. 79. p. 524. edit. Hudson.

(g) L. I. de re rust. c 17. n. 5.

(h) De diuersis significationibus vocis *peculium* vid. Lauterbach. de pecul. aduentic irreg. §. 1. disputt. academ. vol. III. p. 298. Idem de peculiis filiorumfam. §. 1. n. 1. disputt. academ. vol. III. p. 310. seq.

(i) l. 5. §. 4. D. de pecul.

(k) l. ult. D. de nouationib. (l) l. 7. D. de donationib.

adquirebant, in patrem transferebatur. (m)

III.

Ab hac tamen parentum poteſtate multum detractum eſt, ex quo Iulius Caeſar, (n) Auguſtus, (o) poſtea Titus Veſpaſianus, Domitianus, Nerua et Traianus (p) militibus atque veteranis concesſerunt, vt, quidquid bellicis ſudoribus adquirerent, pleno id iure ſibi haberent, (q) quibus bonis *caſtrenſis peculii* nomen inditum eſt. Accesſit huic alia ſpecies, *peculium quaſi caſtrenſe*, quia ad exemplum caſtrenſis conſtitutionibus principum introducta eſt. Ad id referebatur, quod filiifamilias in palatina vel forenſi militia verſantes, aut liberalium artium profesſione adquiſiuerant. (r)

IIII.

His Hadrianus, (s) Diuus Pius, (t) Conſtantinus M. (v) Gratianus (x) Theodoſius et Valentinia-

(m) Confer. Lauterbach. de peculiis filiorumf. §. 3. ſeqq. disputt. academ. vol. III. p. 312. ſeqq. Idem de pecul. adventic. irreg. §. 1. disputt. academ. vol. III. p. 298. ſeqq.
(n) l. 1. pr. D. de teſtam. milit.
(o) pr. I. quib. non eſt permisſ. fac. teſtam.
(p) l. 1. pr. D. de teſtam. milit.
(q) Iuuenal. ſat. XVI. v. 52.
(r) vid. Lauterbach. locis citt. Heinecc. antiqq. iur. l. II. t. 9. §. 2. n. [illegible].
(s) l. 50. D. ad Sctum Trebell.
(t) l. 52. pr. D. de adquir. vel omit. hered.
(v) l. 1. C. de bon. mat.
(x) l. 6. C. de bon. mat.

tinianus, (y) Leo et Anthemius (z) atque Iustinianus (a) *peculium aduenticium* adiecerunt, sanxeruntque, vt quaecunque liberi extra causam patris, neque militiae laboribus, neque liberalibus studiis adquirerent, eorum dominium penes ipsos esset; ita tamen, vt vsusfructus huius peculii modo ad patrem, modo ad filium pertineret. (b)

V.

Cum itaque constitutionibus principum factum sit, vt diuersa peculiorum ratio esse coeperit; definitio, quam e l. 5. §. 4. D. *de pec.* vulgo petunt, haud erit admittenda, sed alia generi peculiorum conuenientior substituenda. Ne autem nouitatis studio indulgere videar, eam in medium adferam, quam Brissonius e lexico Graeco exscripsit, (c) *κτῆσις τοῦ ἐν ἀλλοτρίᾳ ἐξουσίᾳ ὄντος, τοῦτ' ἔστιν υἱοῦ, ἢ δούλου, possessio eius, qui in aliena potestate est, id est, filiifamilias aut serui.* Cui addam aliam a Lauterbachio suppeditatam: (d) *Peculium est vniuersitas rerum, siue quasi patrimonium illius, qui in aliena potestate est, a rationibus illius, cuius potestati subiectus est, separatum.*

(y) l. 1. C. de bon. quae lib.
(z) l. 4. 5. C. de bon. quae lib.
(a) l. 6. 7. 8. C. de bon. quae lib.
(b) vid. Lauterbach. locis citt. De origine peculiorum, qui plura desiderat, is Schilteri praxin iur. Rom. ex. XXXXIIII. §. 45. adeat, qui vberiorem eorum historiam suppeditat.
(c) de verbor. significat. in voce *peculium.*
(d) de pec. aduent. irreg. §. 2. disputt. academ. vol. III. p. 299.

paratum. Hae quascunque ſpecies, quae ſub eo genere ſunt, complectuntur. Peculii autem duae conſtitui ſolent ſpecies, vna *militaris*, de quo ante dictum eſt, et *pagani*. Hoc, ſi filiofamilias a patre datum, dicitur *profectitium*, ſi vero neque e re patris, neque militia togata, ſagataue paratum, dicitur *aduenticium*. Cuius duo ſunt genera: vnum, in quo patri vſusfructus debetur, quodque dicitur *aduenticium ordinarium, regulare, minus plenum;* alterum, in quo patri vſusfructus ademtus, idque vocatur *aduenticium extraordinarium, irregulare, plenum.* De quo pluribus agere iam conſtitui. Eſt itaque peculium aduenticium extraordinarium, irregulare, plenum, definiente Lauterbachio, (e) *id, quod ex ſingulari legis diſpoſitione a rationibus paternis omnino eſt ſeparatum, liberisque contra ordinariam et regularem peculii aduenticii naturam pleno iure tam quoad proprietatem, quam quoad vſumfructum conceſſum, eaque complectitur, quae nullo vtriusque militiae praetextu, ſed aliunde et non ex re patris obuenerunt.*

VI.

Atque haec ſufficiant de iure peculiorum apud Romanos. Nunc, vt de moribus Germanorum pauca addam, ordo poſtulare videtur. Longe alia maiores noſtros in liberos vſos eſſe poteſtate, quam Romanos, tam certum eſt, quam

 quod

(e) de pec. aduent. irreg. §. 6. disputt. academ. vol. III. p. 301.

quod certisſimum. (f) Non enim liberi Germanorum parentibus, ſed ſibi adquirebant. In iis autem, quae quocunque modo erant quaeſita, parentibus vſusfructus erat conſtitutus. (g) Neque ab his moribus plane recesſerunt Germani, introducto iure Romano, (h) tametſi innatum nouitatis ſtudium multum peregrinis legibus concesſerit. (i) Quo factum, vt cum leges et mores, quibus ante iuris Romani receptionem vtebantur maiores, priſcam ruſticitatem et ſimplicitatem redolentes, acutas ac ſubtiles diſtinctiones, quibus Romanae abundant, ignorarent, hae, ſaluis fere conſuetudinibus patriis, in foro vſu introducerentur. Miror itaque iuris Germanici peritisſimum Riccium, qui Conſultisſimum Carrachium (k) ſequitur, contendere (l) vſum peculiorum Romanorum nunquam in vniuerſum a Germanis esſe receptum, adeoque vtrique parentum in quibuscunque liberorum, qui maiorem aetatem nondum attigerunt, bonis ſiue militia togata, ſiue ſagata, ſiue alium-

(f) Heineccii elem. iur. Germ. l. I. §. 144. Polac. Syſtem. iurisprud. Germ. antiqu. l. I. c. 12. §. 3.

(g) Heineccii elem. iur. Germ. l. I. §. 138. ſq. Braun de vſufr. parent. in bon. lib. P. II. c. 3. §. 2. ſeqq. Riccius ſpicileg. iuris Germ. p. 454.

(h) Stryk. in disſert. praelim. Vſus mod. pand. §. 27. ſeq. Heinec l. c. §. 144.

(i) vid. Thomaſii disſ. de vſu iuris pat. Romanor. c. I. §. 20.

(k) differ. iur. Rom. & Germ. in pecul. inprimis filiorumfam. §. vlt.

(l) Spicileg. iur. Germ. pag. 454.

aliunde partis tutelam eamque vsufructuariam competere. Ante enim, quam Romanae leges in patriae foris dominari coeperunt, eiusmodi tutela in vsu fuit: ei vero postea certi limites sunt positi, id quod praestantissimorum iureconsultorum scripta testantur. Pari modo Celeberrimus Engauius a me dissentire videtur, qui quaestionis de peculio vllum in iure Germanico esse vsum negat. (m) At Vir Consultissimus de iure Germanico antiquo, atque de iis temporibus loquitur, quibus suis legibus moribusque regebatur Germania. Vt itaque ordine procedatur in hac, quam suscepi tractatione, iuris Romani sententiam in examinandis quaestionibus primo loco ponam, tum Germanici fori vsum subiiciam.

CAPVT II.

DE DIVERSIS MODIS, QVIBVS CONSTITVITVR PECVLIVM ADVENTICIVM EXTRAORDINARIVM.

I. Pluribus modis constituitur peculium aduenticium extraordinarium. De rebus, quae in hoc peculio esse possunt.

II. Consequitur filiusfamilias eius generis peculium, 1) si hereditatem inuito patre adiit, vel aliud quidquam consecutus est.

III. 2) Si quid filiofamilias ea lege relictum, ne pater vsumfructum habeat.

(m) elem. iur. Germ. ciuil. l. I. §. 303.

IIII. 3) Si filiofamilias eiusque patri fratris germani hereditas simul delata.
V. 4) Si pater in restituendis filiofamilias bonis ex causa fideicommissi dolose egit.
VI. 5) Si pater, vel vterque parentum diuortium iniuste fecerunt.
VII. 6) Si quid filiofamilias a principe donatum.
VIII. 7) Si pater vsumfructum peculii aduenticii ordinarii filio remisit.
VIIII. Anne, si vsusfructus filiofamilias legatus fuerit?
X. Non oritur peculium aduenticium extraordinarium, si pater praedium a se venditum nomine filii retrahit.
XI. Neque, si pater aduenticiis ordinariis abutatur.
XII. Neque pecunia lustrica huius peculii est.
XIII. Neque feudum.
XIIII. Neque seruus donatus, vt manumittatur, neque pecunia data, vt creditoribus inde satisfiat.

I.

Pluribus autem modis constituitur peculium aduenticium extraordinarium, seu irregulare. De quibus, cum ingens doctorum sit dissensus, operae pretium me facturum puto, si singulos paullo curatius enumeravero. Tametsi enim Iustinianus casus quosdam expresse constituit, quibus cum possessio, tum fructus bonorum aduenticiorum filio debeantur: tamen plura genera iureconsultorum interpretationes et disputationes pepererunt, quae in illorum libris dispersa reperiuntur; *cum neque leges, neque senatusconsulta ita scribi possint, vt omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur: sed sufficiat, ea, quae plerumque accidunt, contineri* (n) Neque dubium est, quin ea peculii gene-

(n) l. 10. D. d. LL. et Sctis.

genera ſint valida, modo legibus non aduerſentur, licet Ludouici ſtatuat, (o) praeter tria, ab ipſo expoſita, alia fingere, fas non esſe. Ante vero, quam modos exponam, illud erit monendum, in peculio hoc esſe posſe omnes res, tam corporales, quam incorporales, tam mobiles, quam ſoli, (p) modo eius ſint naturae, vt in bonis esſe posſint.

II.

Primo itaque peculium extraordinarium aduenticium naſcitur, ſi filiusfamilias, repugnante patre, hereditatem ſibi delatam adiit, (q) praecedente magiſtratus decreto, (r) vel contra omisſam a patre reſtitutus eſt, (s) quia beneficia inuitis non deferri, aequitatis eſt. (t) Patre itaque et filio heredibus inſtitutis, ſi is hereditatem delatam repudiauerit, eamque ob cauſam hic ſolus adierit, integra hereditas, cuius pars filio adcreuit, eiusdem peculii esſe dicitur. (v) Quod quidem, me iudice, iuris rationi refragatur. Nam l. vlt. C. *de bon. quae lib.* quae de rebus filio deſtinatis loquitur, ad patrem heredem ſcriptum aptari non debet; ſed hereditas tali mo-

 do

(o) doctr. pandect. tit. de pec. §. 10.
(p) l. 7. §. 4 D. de pec. l. 7. C. de bon. quae lib. Lauterb. de pecul. filiorumf. §. 1. n. 6. disputt. acad. vol. III. p. 311.
(q) l. vlt. §. 1. l. de bon. quae lib.
(r) Simoncellus de decret. praefat. n. 71.
(s) Tabor de patr. poteſt. n. 7. tractat. t. II. p. 932.
(t) Stryk. ad Lauterb. p. 259
(v) Braun de vſufr. parent. in bon. lib. P. I. c. 2. §. 6

do adquisita ad peculium aduenticium ordinarium referenda est. At, quae habet Lauterbachius, (x) legibus magis sunt consentanea. Is filiumfamilias hereditatem, quamuis patris causa sibi relictam, hoc inuito adire, sibique pleno iure adquirere posse, existimat. Non vero de hereditate sola, sed de quacunque re inuito patre adquisita lex, quam modo commemoraui, agit, id quod e verbis, *nulla actione neque contra patrem danda vbi aduersus eius voluntatem filius hereditatem vel legatum, vel fideicommissum, vel aliud quidquam ex quocunque titulo siue donationis, siue contractus alterius sibi adquirere maluerit*, apparet. Neque etiam ea, quam ante attuli, ratio repugnat.

III.

Deinde peculium eiusmodi adquiritur, si liberis ea conditione quid relinquitur, donaturue, ne pater vsumfructum habeat. (y) Quam facultatem cuique testatori, donatoriue concessam esse, ex eo cognoscitur, quod cuique, quam velit, legem rei suae imponere licet. Aberrat itaque authentica *excipitur C. de bon. quae lib.* a nouella, e qua exscripta, cum haec non parentibus solum, sed παντὶ προσώπῳ hanc licentiam indulgeat. Neque solum expresse, verum etiam tacite, ac verbis idem declarantibus, velut ademta administratione, pater vsufructu priuari potest, (z) aut,

(x) colleg. theoret. pract. tit. de pecul. §. 25. Idem de pec. aduent. irreg. §. 10. disputt. acad. Vol. III. p. 302.

(y) Nou. CXVII. c. 1,

(z) Carpzou. P. II. c. 10, d. 10. n. 4.

aut, si pater hereditatem filio restituere iubeatur, neque aliam testatoris mentem fuisse, e verbis cognosci posset. (a) Sed hoc postremo casu tolli vsumfructum, mihi non videtur. Tum a matre constitui peculium aduenticium irregulare certum est, cum filio quid ea lege donat, vt hoc peculio castrensi, vel quasi, cedat. Nam natura rei non patitur, vt donata eiusmodi peculio castrensi, vel quasi, inserantur: (b) ad peculium vero aduenticium extraordinarium referri possunt, quia satis abunde apparet, donantem noluisse, vt pater vsumfructum consequatur. (c) Non tamen in legitima hereditate patrem, quamvis prodigum, (d) adiecta eiusmodi conditione priuare licet matri et reliquis parentum, quippe quae non tam beneficio testatoris, quam iussu legis defertur. Ipse Iustinianus, (e) *postquam reliquerint filiis partem*, inquit, *quae lege debetur, quod reliquum est* cet. Qua de quaestione pluribus egit et aduersariorum argumenta refutauit Celeberr. Braunius. (f)

IIII.

(a) Braun de vsufr. parent. in bon. lib. P. I. c. 2. §. 7.
(b) l. 8. de castr. pec.
(c) Lauterbach. de pec. adu. irreg. §. 12. disputt. acad. Vol. III. p. 303. Stryk. ad Lauterb. p. 254.
(d) Leyser. meditt. ad pandect. sp. LXXXXII. m. I.
(e) d. Nou c. I.
(f) l. c. §. 8. Confer. quoque Lauterb. de pec. adu. irreg. §. 13. disputt. academ. vol. III. p. 303. Brunnem. ad auth. *excipitur C. de bon. quae lib.* n. 5. Idem decision. cent. I. decis. 92. et Stryk. V. M. tit. de vsufr. §. 10.

IIII.

Tum quoque peculium tale filiofamilias adquiri voluit Iustinianus, vbi vna cum patre successit fratri germano, (g) qui l. 13. §. 1. *C. de legit. hered.* a se latam abrogauit, eam, opinor, ob caussam, quia pater cum fratribus defuncti succedens coheredis loco est, adeoque eum quid praecipere, fas non esset; praesertim cum olim a fratribus excluderetur hereditate. (h) Quamuis vero Nou. CXVIII. de successione in bona fratris sororisue germani, germanaeue loquatur, hoc tamen ius ad quascunque hereditates patri eiusque liberis simul delatas extenditur; (i) sed absque ratione. (k) Nam *quod contra iuris rationem est introductum, non est producendum ad consequentias.* (l) Illud autem monendum, non quaecunque bona a fratre relicta peculii aduenticii irregularis esse, sed ea tantum, quae pleno iure defuncti fuerunt; quo pertinent bona castrensia, quasi castrensia, aduenticia irregularia, vt et hereditas filii emancipati. (m) Cum igitur pater in peculio aduenticio filii ordinario succedit, tum filii coheredes partem quidem proprietatis accipiunt, sed vsusfructus apud patrem manet; propterea,

(g) Nou. CXVIII. c. 2.
(h) Brunnem. ad auth. *item hereditas C. de bon. quae lib.* n. 2.
(i) auth. *item C. de bon. quae lib.*
(k) Stryk. V. M. tit. de vsufr. §. 12. Idem de success. ab int. d. II. c. 1. §. 26. seq.
(l) l. 14. D. d. LL.
(m) Stryk. V. M. tit. quib. mod. vsusfr. am. §. 2.

pterea, quod filio viuente idem ipsi legum beneficio competiit. (n) Sed cum Saxonum leges de succesſione parentum a iure ciuili recedant, (o) facile inde colligitur, in Saxonia tali modo peculium aduenticium irregulare constitui non posse.

V.

Quarto peculium aduenticium extraordinarium oritur, si pater filio suo, si in potestate sua esse desiisset, hereditatem restituere rogatus multa in fraudem fideicommissi fecisse probatus fuerit. (p) Quod quidem cum Hubero (q) et, qui eum sequitur, Boehmero (r) ad eum casum, si pater in quibuscunque filii bonis dolum committat, vel non ex fide administret, ideo extendere nolim, quod poenam ius istud continet, eamque ob causam pleniorem interpretationem respuit. Ceterum hanc legem eam ob causam notandam atque animaduertendam puto, quod ex ea cognoscitur, iam ante Iustiniani tempora extraordinarii peculii speciem in vsu fuisse, quippe in qua dicitur, *post decreti autem auctoritatem filio militi comparari debuit.*

VI.

Quinto diuortium a patre iniuste factum constituendi eiusmodi peculii causam esse traditur. Ob

(n) Stryk. de succ. ab int. d. II. c. 1. §. 89.
(o) Idem l. c. c. 3. §. 3.
(p) l. 50. D. ad Sctum Trebell.
(q) praelect. ad Dig. tit. de pec. §. 2.
(r) introduct. in ius Dig. tit. de pec. §. 18.

Ob id enim pater priuatur bonis, quorum triens monaſterio, in quod detruſus, bes liberis pleno iure cedit. (s) Pari modo ſi vterque parentum ſine cauſa legibus probata diuerſi fuerint, bonorum maternorum pars liberis eodem iure defertur. (t) Idque in iure Romano verbis adeo claris traditur, vt mirandum ſit, Lauterbachium negare, (v) bona mariti iniuſtum diuortium facientis ad peculium aduenticium extraordinarium pertinere, cum antea contrarium ſtatuerit. (x) Quod, vt ſtatim appareat, ipſa verba nouellae proferam. Sunt autem haec: Ἐι δὲ παρὰ τὰς ἀφ᾽ ἡμῶν διωρισμένας αἰτίας τολμήσουσί τινες διαλύειν τὸν γάμον, κελεύομεν, εἰ μὲν κατιόντας ἔχοιεν, ἔιτε ἐξ αὐτοῦ, ἔιτε ἐξ ἄλλου γάμου, τὰς ὀυσίας αὐτῶν ἐκείνας δίδοσθαι κατὰ τὴν τῶν νόμων τάξιν, καὶ τόν τε ἄνδρα, τήν τε γυναῖκα εἰς μοναστήριον ἐμβάλλεσθαι, ἐπὶ πάντα τὸν τῆς ζωῆς αὐτῶν χρόνον· καὶ ἐκ τῆς ἑκάστου περιουσίας ἀνὰ τέσσαρας ὀυγκίας τοῖς μοναστηρίοις, ἐν οἷς ἐμβάλλονται, ἀφορίζεσθαι, τοῦ ἀνδρὸς δηλονότι μηδὲ χρῆσιν ἔχοντος τοῦ διδομένου τοῖς παισὶ μέρους, quae auctor verſionis, quam authenticam vocant, ita latine reddit: *Si vero praeter a nobis definitas cauſas praeſumſerint aliqui ſoluere matrimonium, iubemus, ſi quidem deſcendentes habuerint, ſiue ex ipſo, ſiue ex alio*

(s) Nou. CXXXIIII. c. 11.
(t) d. Nou.
(v) de pecul. adu. irreg. §. 16. disp. academ. vol. III. p. 304.
(x) de pecul. filiorf. §. 12. n. 7. disputt. academ. vol. III. p. 329.

alio matrimonio, substantiam eorum illis dari secundum legum ordinem et tam virum, quam mulierem, in monasterium mitti in omnibus vitae suae temporibus et de singulorum facultatibus quaternas vncias monasteriis, in quibus mittuntur, separari, viro nihilominus neque vsum habente datae partis filiis; Non est vero, quod hanc legem in vsu esse statuamus, cum diuortium facientes apud nos in monasterium non detrudantur, (y) praetereaque priuata auctoritate diuortia hodie non fiant, sed si coniuges sponte diuersi fuerint, matrimonii iura maneant salua. (*) Neque ad parentes, qui auctoritate iudicis diuortium fecerunt, lex ista est applicanda. Etenim diuortium non est causa tollendae patriae potestatis, neque ob id bonis priuantur parentes, sed diuertentibus tam propria bona, quam vsumfructum in peculio liberorum saluum esse oportet. Iustinianus patrem iniusto diuortio matrimonium dissoluentem cum bonis in vniversum, tum vsufructu in parte liberis destinata eam ob rationem priuare voluit, vt causae diuortii ab ipso propositae vsu seruarentur. Hanc vero rationem ad nostram rempubl. non pertinere, ex eo colligitur, quod diuortia hodie non nisi ob iustissimam causam conceduntur. De desertione aliter sentiendum videtur. Nam desertor coniugis nullo plane beneficio dignus est, ideoque et successione priuatur, (z) quidni etiam vsufructu

(y) Braun de vsufr. parent. in bon. lib. c. II. §. 4.
(*) Idem l. c. §. 13.
(z) Stryk. de succesf. ab int. diss. IIII. c. 1. §. 12.

fructu in bonis liberorum? Idem de adulterio sentit Strykius, qui ad verba compendii Lauterbachiani, *bona ob delictum matris a lege liberis delata, auth. idem est C. D. t.* haec addit, (a) *si scilicet diuerterit, vel adulterium commiserit.* Quo vero iure dicere licet, ob delictum matris liberos peculium aduenticium extraordinarium consequi? Leges certe a Schutzio allegatae silent, neque in aliis quidquam hac de re continetur. Praeterea adulterium successione quem indignum reddit, (b) non vero patria potestate. Quo fit, vt pater, commisso licet adulterio, vsumfructum retineat. (c)

VII.

Sexto donata a principe ad peculium aduenticium extraordinarium pertinent. (d) Dissentiunt hac de re iureconsulti. Alii eiusmodi donationem ad peculium quasi castrense, alii ad adventicium irregulare referunt. (e) At vero verba, *ad similitudinem castrensis peculii omnem facultatem in eas filii, vel filiaefamilias habeant*, potestatem tantum filiis eandem fere, quae in castrensibus,

(a) idem l. c. §. 13.
(b) adnot. ad Lauterb. p. 259.
(c) Stryk. de succesf. ab inteft. disf. XII. c. 4. §. 3.
(d) Lauterb. de vsufr. paterno §. 13. n. 6. disp. academ. vol. III. p. 1076.
(e) Lauterb. de pec. adu. irreg. §. 14. disputt. acad. vol. III. p. 303. idem de peculiis filiorumf. §. 12. n. 7. l c. p. 329. Coccei. ius controu. ciu. tit. de pec. q. 3. Schilter. prax. iur. Rom. ex. XXXXIIII. §. 47.

ſibus, indultam esſe ſignificant, (f) ideoque teſtandi ius in his bonis filiisfamilias non esſe, admodum eſt credibile. (g) Hanc vero, ſi tollas, nihil intereſt, ad quaſi caſtrenſe referas, nec ne. Quae cum ita ſint, parum mihi probatur a Bergero ſuppeditata diſtinctio. (h) Is ea, quae filiofamilias in ſago verſanti a principe donantur, ad caſtrenſe, quae in toga rempublicam adminiſtranti, ad quaſi caſtrenſe, quae nullo munere fungenti, ad aduenticium irregulare reuolvit. Neque etiam Brunnemanno (i) adſentiendum puto, qui ea ſeiungi vult, quae patris cauſa liberis ſunt donata. Quod quidem iuri Romano conſentaneum, patriis vero moribus parum congruum, qui eam per filios adquirendi poteſtatem auerſantur. (k) Ceterum illud notandum, quae in l. 7. de principe et auguſta perhibentur, ad omnes imperii Germanici principes pertinere. (l)

VIII.

Septimo peculium tale nanciſcitur filiusfamilias, ſi pater in aduenticio ordinario iuri a legibus ſibi concesſo renunciat, atque vſumfructum

 illi

(f) Schilt. prax. iur. Rom. ex. XXXXIIII. §. 47.
(g) Huber. praelect. ad Dig. tit. de pec. §. 2. Schilt. l. c.
(h) Oecon. iur. l. I. tit. 2. §. 2. n. 11.
(i) Comment. ad l. 7. C. de bon. quae lib. n. 4.
(k) Stryk. V. M. tit. de pec. §. 5.
(l) Brunnem. l. c. n. 2. Coccei. [illegible] controu. ciuil. tit. de pec. quaeſt. 3.

illi permittit. (m) Idque tam expresse, quam tacite, concesso nimirum filio vsufructu, fieri potest; ita vt coheredes post mortem eius, in cuius potestate ille fuit, fructus perceptos petere nequeant. (n) Licet enim cuiuis iuri in fauorem suum introducto renunciare, (o) adeoque, cum ratione vsusfructus peculium aduenticium regulare ab irregulari differat, sola remissio nouam peculio qualitatem conciliare potest. Sunt quidem, qui eiusmodi remissionem validam esse negant, propterea, quod pater filio donare non possit. (p) Sed, vt Tiraquellus monet, refutatio potius est, quam donatio. Apud nos, quin valeat, dubium non est, qui donationes parentum probamus. Atque eandem ob causam, quod fructus tali modo a filiofamilias adquisiti in bonis patris nunquam fuerunt, fratres donationem istam inofficiosam dicere nequeunt. (q) Quin etiam creditores patris obaerati, qui vsumfructum remisit, fructus vindicare non possunt. (r) Ceterum de remissione tacita vsusfructus diuersae sunt iureconsultorum sententiae.

(m) Lauterb. de pec. adu. irreg. §. 19. disp. academ. vol. III. p. 304. Compend. Lauterbachian. tit. de pecul.

(n) l. 6. §. 2. C. de bon. quae lib. Carpz. p. II. c. 10. d. 11. Stryk. de success. ab int. d. XI. c. 4. §. 3. Idem ad Lauterb. p. 259. Lauterb. l. c.

(o) l. pen. C. de pact.

(p) Tiraquellus ad l. *si vnq. C. de reuoc. donat.* n. 212.

(q) Lauterbach. l. c.

(r) Lyncker consil. r. XXVIIII. n. 32.

tiae. Alii fructus praeteritos et perceptos tantum ex peculio aduenticio irregulari adiici, futuros vero quocunque tempore reuocari et vindicari posse, existimant. Verum, monente Lauterbachio, (s) duo constituendi erunt casus. Aut enim de voluntate patris vsumfructum filio concedendi constat, et tunc poenitere non licet, quia iure, quo quis se abdicauit, vti fas non est: aut de voluntate ista non constat, tunc fructus, quamuis voluntate patris percepti, peculio isti non adiiciuntur. Idem quoque Lauterbachius exceptiones a Trentacinquio I. I. resol. 5. congestas, quod iuris rationi non congruunt, reiicit. Quia vero administrationi, quam leges tribuunt, hoc modo pater renunciasse non videtur, remisso licet vsufructu, eam nihilo minus penes patrem esse puto.

VIIII.

Aliam peculii huius speciem finxerunt P. Mullerus (t) et Tabor, (v) qui vsumfructum filiofamilias in re aliena legatum, integrum ei adquiri ideo statuunt, quod seruitutem seruitutis esse vulgo negatur. (x) Tametsi vero haec iuri nostro non plane aduersantur, quod vsusfructus patri in iis tantum bonis conceditur, quae filius adquisiuit *non ex eius substantia, in cuius potestate*

 est,

(s) l. c.
(t) Iurisprud. element. disput. XVIIII. th. 4. lit. c. n. 3.
(v) de patria potest. c. III. n. 7. Tractatt. t. II. p. 932.
(x) l. 1. D. de vsufr. legato.

eſt, ſed ab aliis quibuscunque cauſis, quae ex liberalitate fortunae, vel laboribus ſuis ad eum perueniunt: (y) huic tamen legi praeferenda videtur alia, (z) qua Iuſtinianus ſancit, vt vſusfructus filiofamilias legatus apud patrem remaneat, licet ille mortem vel naturalem, vel ciuilem ſubierit. (a) Lex enim haec e quinquaginta deciſionum numero eſt, et illam, cuius verba modo adduxi, aetate ſuperat. (b) Lauterbachius diverſas iureconſultorum hac de re opiniones conciliaturus (c) Iuſtinianum, dicit, in hac lege vlt. C. *de vſufructu* legem 6. C. *de bonis, quae lib.* et totum ius antiquum esſe interpretatum. Quo vero iure id dicere liceat, non reperio. Mihi quidem legem iſtam paullo attentius intuenti viſum eſt, Iuſtinianum quaeſtionem ſolum inter iureconſultos agitatam, vtrum vſusfructus filiofamilias vel ſeruo legatus eius morte exſpiret, nec ne, decidere, non vero ius antiquum per L. 6. C. *de bonis, quae lib.* abrogatum reſtituere. Obſtare quidem videntur verba, *Et ideo ſancimus in huiusmodi caſibus, neque ſi ſeruus vel filiusfamilias in praefatos caſus inciderit, interrumpi patri, vel domino vſumfructum, qui per eos adquiſitus eſt, ſed manere intactum:* ſed expresſam iuris mutationem iis contineri, nemo affirmabit. Haec potius

(y) l. 6. C. de bon quae lib.
(z) l. vlt. C. de vſufr.
(a) Hahn. disſertt. iurid. disſ V. th. 27.
(b) Brunnem. ad d. l.
(c) de pec. filiorumf. §. 12. n. 4. disp. academ. vol. III. p. 326.

tius vis verborum iſtorum esſe videtur: ſancimus, vt vſusfructus mortuo filiofamilias, cui legatus, non ad dominum reuertatur, ſed ad patrem transeat. Cum itaque ne vnico quidem verbo declaret Iuſtinianus, ſe velle, vt contra normam L. 6. C. *de bonis, quae lib.* (qua ſtatuit, quae res peculio aduenticio ſubiiciantur) vſusfructus filiofamilias relictus patri adquiratur, atque ita regula iſta, diſpoſitio ſpecialis poſterior tollit generalem priorem, applicari nequeat: haud abſonum esſet cum Mullero contendere, viuente filiofamilias patrem vſufructu plane excludi, quia ſeruitus ſeruitutis esſe non poteſt. Quod ſi vero reſponderis, iuris rationi non esſe contrarium, vt dicatur, patrem vſufructu filio legato, aeque ac rebus aliis ab eo adquiſitis vti, frui, cum regulae, quae de ſeruitutibus propoſitae ſunt, nonnunquam exceptionem admittant, me diſsentientem non habebis. Nam iure quidem antiquo vſusfructus integer ad patrem pertinebat: ſed id verbis generalibus l. 6. C. *de bonis, quae lib.* ſublatum esſe, tanto magis veriſimile eſt, quod nulla lege patris ius in vſufructu ſalvum esſe iubeatur. Accedit etiam illud, quod regula iſta, *ſeruitus ſeruitutis esſe non poteſt*, de ſeruitutibus praedialibus tradita eſt, eamque ob cauſam, licet perſonalibus eam applicari velis, de eo dubitari posſet, an ad perſonales a legibus conſtitutas, cuiusmodi eſt vſusfructus patris in bonis liberorum, pertineat. Quae cum ita ſint,

 patrem,

patrem, non integrum vſumfructum, ſed eius fructus tantum conſequi, puto, idque auctoritate legis 6. C. *de bonis, quae lib.* commotus.

X.

Peculium quoque aduenticium extraordinarium filiofamilias adquiri ſtatuit Tiraquellus, (d) ſi pater tutor filii praedium a ſe venditum retrahit. Rationes hae ſubiiciuntur. Qui et ſibi et aliis adquirere poteſt, ſi quid adquirit, quod aliis adquirere non poteſt, ſibi totum adquirit, e. g. liber homo b. f. ſeruiens, cui omne debetur, quod e re noſtra non adquirit. Deinde, ſi quis propter factum ſuum ſibi non poteſt adquirere, vt pater, qui vendidit, nec per alium poteſtati ſuae ſubiectum poteſt, quod argumentum a legato ſeruo relicto ductum eſt. Verum enim vero neſcio, an in hanc ſententiam concedam, propterea, quod argumenta a ſeruis petita huic quaeſtioni decidendae minus apta videntur. Nam pater tutor vel curator filii non ſuo, ſed filii nomine retrahit, (e) neque id agit, vt venditum a ſe praedium recuperet, ſed vt id filio tanquam proximo cognato reſtituatur. Neque obſtare poteſt, quod alias pater rebus filii vtitur, fruitur, quia, vt ipſe Tiraquellus fatetur, (f) quod principale eſt non irritum redditur ob acceſſorium, ſiue ſequelam vitioſam; qui etiam exinde

(d) de retract. lignag. §. 1. gl. 9. n. 70. ſeqq.
(e) Schroeter. in reſolutt. difficil. legg. cod. p. 354.
(f) l. c. n. 69.

exinde concludit, patrem filio pecuniam donantem, vt ea fundus ab eo venditus redimatur, vsufructu non excludi. Hoc commodum est secundarium, sufficitque, dominium filio adquiri. Quanquam itaque pater sua quidem pecunia, nomine tamen filii rem venditam redimit: attamen ea peculio aduenticio ordinario filii subiicitur, quia administrator, cuius munere pater fungitur, non sibi, sed ei, cuius nomine contrahit, adquirit. (g) At si ipse filius, vel eius tutor rem a patre venditam retrahit, cuius tunc erunt fructus? Respondeo patris. (h) Huic enim leges in omnibus rebus, quas legislatoris arbitrium non exemit, vsumfructum constituunt. Refragari quidem videntur l. vlt. pr. C. *de bonis, quae lib.* verba, *vbi aduersus eius voluntatem filius haereditatem, vel legatum vel fideicommissum, vel aliud quidquam ex quocunque titulo, siue donationis, siue contractus sibi adquirere maluit.* Sed haec eo tantum referenda esse arbitror, si filius inuito patre contraxit. Neque praedium a filiofamilias reuocatum e re patris adquisitum esse, dici potest, quia id post alienationem in patris bonis esse desiit, neque filiusfamilias id patris causa, sed suo iure est consecutus. (i) Quin

 etiam

(g) Stryk. de succesf. ab int. d. VI. c. 2. §. 24.

(h) Reinkingk. de retractu consang. q. II. n. 444. Lynker resp. XI. n. 24. Braun de vsufr. parent. in bon. lib. c. IIII. §. 6. qui ibi aduersariorum argumenta refellit.

(i) Reinkingk de retract. consang. q. II. n. 445.

etiam illud tenendum eſt, peculium eſſe vniuerſitatem, (k) adeoque in ea rem ſuccedere in locum pretii. Si itaque filiusfamilias vel eius tutor pecunia aduenticia redemerit, praedium redemtum eodem erit loco, quo fuit pretium. Alias enim parentes occaſionem haberent, liberos vſufructu in peculio aduenticio irregulari defraudandi.

XI.

Affert quoque Strykius ſpeciem aliquam peculii, de quo agimus. (l) Is patrem non melioris conditionis eſſe aliis vſufructuariis, ideoque bonis filii abutentem vſufructu priuari, exiſtimat. Hanc vero ſententiam, in qua et Lauterbachium (m) aliosque ab eo nominatos eſſe video, vel ideo tueri nolim, quod iura parentibus plus fauent quam aliis. Quare quod nonnunquam fieri ſolere tradit Strykius, vt patri male adminiſtranti curator adiungatur, id ſemper obſeruandum eſſe puto, ne legibus ſimus duriores. Quod vero Faber arbitratur, (n) patrem liberis alimenta denegantem vel bona dilapidantem, qui liberos fame perire patiatur, vſuifructui tacite renunciaſſe videri, id a iuris ratione haud alienum eſſe puto. Licet enim leges

(k) Lauterb. in diſſert. de pec. aduent. §. 2. disputt. acad. vol. III. p. 299.

(l) vſ. mod. pand. tit. quib. mod. vſusfr. amitt. §. 6.

(m) de vſufr. paterno §. 40. n. 4. disputt. acad. vol. III. p. 1088.

(n) Cod. definitt. l. VI. t. 36. def. 13.

leges parentibus aliquantum indulgeant, eorum tamen ſceleribus haud patrocinantur,

XII.

Fruſtra quoque huic peculio accenſetur pecunia luſtrica, (o) quam Bergerus ob voluntatem donantis tacitam ei adiiciendam esſe putat. Sed neſcio, an huic ſententiae ſubſcribendum ſit, cum leges (p) omnia ad peculium aduenticium ordinarium referant, quae filius filiaue ex *alia cauſa* adquiſiuit. Quoniam igitur regulam aliquam generalem Iuſtinianus conſtituit, ab ea temere non eſt recedendum; praeſertim cum adquiſitio peculii aduenticii extraordinarii contra eam introducta ſit, ideoque ad caſus non expresſos extendi nequeat. Quare cum Carpzovio (q) Engelbrechtio (r) Cocceio (s) Leyſero (t) et Braunio (v) haec munera peculii adventicii ordinarii loco haberi, puto; quae ſententia iuri magis conſentanea videtur, quam Brunnemanni (x) et Radouii (y) ad caſtrenſia

B 5 bona

(o) Stryk. ad Lauterb. p. 260. Boehmer. introduct. in ius digeſt. tit. de pec. §. 20. Beyer delineat. iur. ciuil. tit. Inſt. per quas perſon. §. 26. Berger. oec. iur. l. II. t. 2. §. 33.
(p) §. 1. I. per quas perſ. cuiq. adquir. l. 6. C. de bon. quae lib.
(q) P. II. c. 24. d. 18.
(r) compend. iurisprud. tit. de pec. §. 4.
(s) ius controuerſ. ciu. tit. de pec. q. 13.
(t) Meditt. ad pand. ſp. 166.
(v) de vſufr. parent. in bon. lib. p. I. c. 3. §. 4.
(x) ad l. I. D. de collatione n. 23.
(y) disſert. de pecun. luſtr. c. IIII. §. 9.

bona ea referentium. Boehmeri quoque opinioni eam anteponendam puto, qui in hoc ab iis, quos antea nominaui, disſentit, quod luſtricam pecuniam ad peculium profecticium pertinere exiſtimat, ſi patris cauſa ea fuerit donata. (z) Moribus enim noſtris haud conuenire arbitror, vt filiofamilias patris cauſa donata peculio profecticio ſubiiciantur.

XIII.

Huc quoque feudum a filiofamilias adquiſitum pertinere volunt complures (a) ea ratione adducti, quod concedens feudum id agat, vt vſusfructus in accipientem transferatur, quodque filium miniſteria feudalia obeuntem commodum e feudo percipere par esſet. Alii, quorum in numero eſt Struuius, (b) ad peculium caſtrenſe id referri malunt, a quibus non plane disſentit Strykius. (c) Cocceius feudum militiae cauſa filiofamilias non concesſum e. g. ruſticum, ad extraordinarium aduenticium referri posſe exiſtimat. (d) Beyerus ad cauſam impul-

(z) ius eccleſ. proteſt. III. 42. 46.

(a) Lauterbach. in disſ. de peculiis filiorumf. §. VII. n. 9. disputt. academ. vol. III. p. 329. Idem de pec. aduent. irreg. §. 17. disp. acad. vol. III. p. 304. Lauterb. compend. tit. de pec. Stryk. in adnott. ad Lauterb. p. 259. Idem in vſ. mod. pand. tit. de pec. §. 9.

(b) ſyntagma iur. feud. c. V. aph. 15. n. 4.

(c) adnott. ad Lauterb. p. 259.

(d) ius controu. ciuil. tit. de pec. q. 11.

impulſiuam reſpiciendum putat, (e) ob quam feudum filiofamilias datum caſtrenſi peculio ſaepius eſſet adiudicandum. Conſultisſimus Emminghaus alia omnia ſentit. (f) Is vſumfructum feudi patri putat adquiri, niſi id vel militia fuerit partum, vel a principe donatum, vel ea lege eſſet relictum, ne pater vſumfructum conſequeretur. Cuius ſententiae hae ſunt rationes. Deficientibus legibus feudalibus, deciſio cauſarum clientelarium e iure Romano petenda eſt. Iam vero nulla de hac quaeſtione in libris conſuetudinum feudalium reperitur lex. Ergo iuris Romani premenda ſunt veſtigia, quod patri in quibuscunque bonis ab ipſo non profectis, vſumfructum largitur. Ipſae quoque conſuetudines Germaniae proximo agnato vſumfructum feudi adſignant. Quae cum iuri noſtro quam maxime ſint conſentanea, ſequitur, vt alii a Viro Conſultisſimo haud nominati caſus ſuperſint, quibus pater vſufructu feudi filio dati careat, puta 1) ſi filius in feudo heres ſcriptus inuito patre hereditatem adierit; 2) ſi cum patre in feudo extra Saxoniam ſucceſſerit; 3) ſi pater feudum filio reſtituere rogatus multa in fraudem fideicommisſi fecerit. Quamuis vero illud largiendum ſit, moribus Germaniae obtinuisſe tutelam legitimam vſufructuariam, eamque patri quoque eſſe

(e) delineat. iur. ciuil. Dig. de pec. poſ. 25.

(f) disſ. de vſufr. patris in bonis liber. maxime feudal. c. II. m. 2. §. 22. ſeqq.

esſe delatam, idque in quibusdam terris vſu hodie obtinere: non tamen inde confici puto, patri tanquam tutori legitimo eum, quem leges Romanae formarunt, deferri vſumfructum. Nam tutela feudalis finitur, ſimulac pupillus pubertatem feudalem attigit, id eſt, ſi in Saxonia annum XVI. extra eam XIIII. vel XVIII. expleuit. Tutela autem ſublata, tollitur vſusfructus, qui tamen iure Romano ſoluta demum patria poteſtate exſpirabat. Quae cum ita ſint, Conſultisſimi Emminghauſii opinionem extra omne dubium poſitam esſe, non arbitror. Ceterum quaeſtio de feudo filiofamilias donato ſuperflua videtur Beyero, (g) quia eiusmodi donationem plerumque e veſtigio ſequeretur ſeparata oeconomia.

XIIII.

Bonorum aduenticiorum extraordinariorum numero etiam haberi volunt ſeruum ea lege filio donatum, vt ſtatim manumittatur, (h) Quanquam vero Iuſtinianus expresſe dicit. (i) patriam poteſtatem non obſtare, quo minus ſervus manumittatur: ex eo tamen non ſequitur, vt is ad peculium irregulare pertineat, propterea quod filius nulla ex eo emolumenta percipit. Atque eandem esſe puto rationem pecuniae ea lege datae, vt creditoribus inde ſatisfiat, quam

(g) delin. iur. ciuil. tit. Dig. de pec. poſ. 22.

(h) Lauterb. de pec. adu. irreg. §. 18. disputt. acad. vol. III. p. 304.

(i) l. f. §. vlt. C. de bon. quae lib.

quam nonnulli eodem, quo seruus, loco esse dicunt. (k)

CAPVT III.

DE IVRIBVS FILIIFAMILIAS IN PECVLIO ADVENTICIO EXTRAORDINARIO.

I. De iis, qui tale peculium adquirere possunt.
II. Filiusfamilias non solum dominium, sed etiam vsumfructum in hoc peculio habet.
III. Testari de eo non potest.
IIII. Mortis causa vero donare.
V. Inter viuos libere de hoc peculio disponit.
VI. Cum patre contrahit.
VII. Pro patre fideiubet.
VIII. Patri recte donat.
VIIII. Qua ratione pater ei donare possit.
X. Matri hodie donare potest.
XI. Cum fratre contrahere licet.
XII. Mutuum contrahit.
XIII. Retrahit praedium a patre venditum.
XIIII. Parentes praedium a filiofamilias venditum retrahunt.
XV. Vindicat neglectis sollemnitatibus a patre vendita.
XVI. Restituitur filiusfamilias aduersus facta patris tutoris.
XVII. Litigat cum quibuscunque.
XVIII Etiam cum patre.
XVIIII. Vtitur beneficio competentiae.
XX. Debitum filii peculiare cum debito patris non compensatur.
XXI. Actio de peculio in his bonis cessat.
XXII. Vt et tributoria.

XXIII.

(k) Braun de vsufr. parent. in bon. lib. p. II. c. 2. §. 16.

XXIII. Excusso peculio profecticio filiusfamilias in subsidium conueniri nequit.

XXIIII. Ob delictum filiusfamilias conuenitur.

XXV. Fruitur ratione huius peculii hypotheca tacita in bonis patris.

XXVI. De praescriptione rerum peculii aduenticii irregularis.

XXVII. Non confertur. Sublata patria potestate cessat qualitas peculii.

I.

His itaque praemissis nunc age consideremus, quae iura filiofamilias in hoc peculio leges indulserint. Perspicuitatis quidem ratio postulare videtur, vt ante, quam ea exponam, qui peculium aduenticium irregulare adquirere possunt, definiam. Sed cum de filiisfamilias loqui instituerim, verendum, ne actum agam, si definitioni personarum adquirentium diutius inhaeream. Nam per se quisque intelliget, neminem patriae potestati non subiectum eius generis peculium adipisci, nihilque interesse, siue per iustas nuptias, sive per legitimationem, siue per adoptionem in patriam potestatem quis fuerit redactus. (l) Quin etiam, qui iuris Romani non plane est ignarus, illud perspiciet, peculia, de quibus agimus, tam a filiis, quam a filiabus adquiri (m) cum masculino

(l) Lauterb. de pecul. filiorumf. §. 31, n. 1. disput. acad. vol. III. p. 312.

(m) l. 7. C. de bon. quae lib.

no vocabulo etiam foemininae contineantur. (n) Illud quoque facile eſt, eos, quibus alia ſunt peculia, non impediri, quo minus irregularia adventicia adquirant. (o)

II.

Primum ergo filiusfamilias tam naturaliter, quam ciuiliter peculium hoc posſidet. (p) Deinde vſusfructus, quem leges patri in aduenticiis ordinariis vindicant, in eiusmodi bonis ceſſat, ideoque filiusfamilias iis aeque vtitur ac paterfamilias re ſua. (q) Quare cum filiusfamilias pleno iure tale peculium teneat, ſequitur, vt praeter fructus et reliquas quoque accesſiones capiat. Theſauri vero in fundo peculiari a filio reperti dominium quidem inuentori adquiri, vſumfructum vero patri, ſtatuendum eſt, quod hunc leges omnibus iis, quae fortunae beneficio filio obuenerunt, frui iubent. (r) Neque dubium plane eſt, quin filiusfamilias in adoptionem datus hunc vſumfructum ſaluum retineat. (s) Iuſtinianus enim, poſitis patriae poteſtati arctioribus limitibus, in arrogatione ius antiquum

(n) l. 45. §. 1. D. de leg. 2. Lauterb. de pec. adu. irreg. §. 9. disp. acad. vol. III. p. 302.
(o) Lauterbach. l. c.
(p) Lauterb. l. c. §. 21. p. 305.
(q) l. 50. D. ad Sctum Trebell. l. vlt. pr. §. 5. l. 7. C. de bon. quae lib. Nou. CXVII. c. 1. N. CXVIII. c. 2.
(r) Lauterb. de vſufr. paterno. §. 19. n. 3. 4. §. 28. n. 4. disputt. academ. vol. III. p. 1079. 1083.
(s) arg. l. 15. §. 4. D. de caſtr. pec.

quum ſuſtulit, conſtituitque, vt patri arrogatori in iis bonis, quae extrinſecus obueniunt filiofamilias, nihil niſi vſusfructus adquiratur. (t) Quia ergo arrogatorem non plus iuris conſequi voluit, quam naturalis habuit, ſequitur, vt adoptans plus adipiſci nequeat, ſed vt is vſufructu aeque careat, ſi adoptatus peculium aduenticium irregulare ante adoptionem conſecutus eſt.

III.

Praeterea quoque libera huius peculii adminiſtrandi poteſtas data. (v) At quaenam? Si leges (x) ſimpliciter esſent accipiendae, tam inter viuos, quam mortis cauſa de illo disponere liceret: Quia vero in Nou. CXVII. c. I. Iuſtinianus verbo διοικεῖν, quo teſtamentifactio non continetur, vtitur, atque *praeter hos*, inquit, *qui caſtrenſe peculium, vel quaſi caſtrenſe habent, ſi quis alius filiusfamilias teſtamentum fecerit, inutile eſt, licet ſuae poteſtatis factus decesſerit* (y) et alibi expresſis verbis dicit, (z) filiisfamilias nullam de bonis ſuis teſtandi facultatem ſe concedere, *niſi antiqua lege ea iam ſit indulta* i. e. in bonis caſtrenſibus et quaſi caſtrenſibus: merito ſtatuendum erit, teſtamentifactionem in aduenticiis extraor-

(t) §. 2. I. de adquiſ. per arrogat.
(v) N. CXVII. c. I. §. 1.
(x) l. 7. et l. vlt. §. fin. C. de bon. quae lib.
(y) pr. I. quib. non eſt perm. fac. teſt.
(z) l. pen. C. qui teſt. fac. posſ.

extraordinariis nullam esse, (a) nisi forte lege aliqua prouinciali ea sit concessa, id quod iure Wurtenbergico et Frisico factum videmus. (b) Ad pias tamen causas de peculio isto filium testari, ideo, quod eiusmodi testamenta ab omnibus et singulis solemnitatibus iure Romano praescriptis liberantur, (c) statuere licet; (d) quamvis Lauterbachius dissentire videatur. (e) Patris quoque consensu; quod eius non intersit, non opus esse, putat Mendo. (f) Verum Schilterum potius sequendum arbitror, qui verbis c. 4. *de sepult.* in 6. paternum adsensum iure pontificio exigi docet. (g) Tametsi vero filiusfamilias testamenti faciendi ius non habet, id tamen pater a principe ipsi impetrare potest. (h) Si autem pater filium suum ad actum testandi

C eman-

(a) Viglius ad tit. I. quib. non est perm. fac. test. n. 16. Lauterb. de pec. adu. irreg. disputt. acad. vol. III. p. 307. Idem de pec. filiorumf. §. 14. n. 5. l. c. p. 336. Huber. praelect. ad I. tit. quib. non est perm. fac. test. §. 2. Stryk. Caut. Testam. c. III. §. 35.

(b) Lauterb. de pec. aduent. irreg. §. 28. disputt. academ. vol. III. p. 308. Lynker. anal. ad Struuii Syntagma iur. ciuil. XXVIII. tit. 1. th. 7.

(c) c. 10. 11. X. de testam.

(d) Vigl. ad tit. I. quib. non est perm. fac. test. §. 17. Stryk. l. c. §. 38. Tholosan. Syntagm. iur. vniu. l. XI. c. 8. §. 20. Ludou. vsu pract. distinct. iurid. p. II. tit. de pec. p. m. 15.

(e) de pec. aduent. irreg. §. 28. l. c. p. 308.

(f) de iure acad. l. III. n. 439.

(g) prax. iur. Rom. ex. XXXVIII. §. 15.

(h) Stryk. l. c. §. 39.

emancipauit, teſtamentum nihilominus eſt infirmum. (i)

IIII

E contrario, quin mortis cauſa donatio ex his bonis a filiofamilias fieri poſſit, nullum plane eſt dubium. (k) Maior vero libertas data eſt filiofamilias aduenticia irregularia donanti, quam regularia. Hic patris conſenſu indiget, (l) non vero ille. (m) Id tamen, quod Strykius cautelae loco ſuppeditat, (n) vt donatario praeſente et donationem acceptante donetur, non plane necesſarium esſe puto, quia et in abſentem atque ignorantem collata donatio iure fideicommisſi valet. (o) Quoniam igitur filiusfamilias, cui peculium extraordinarium eſt, mortis cauſa donare poteſt, ſequi videtur, vt teſtamentum eius clauſula codicillari munitum inſtar donationis m. c. ſubſiſtat. Sed diſtinguendum erit, vt in hac quaeſtione monet Strykius, (p) vtrum verbis generalibus, e. g. *hoc teſtamentum valere volo, quacunque ratione poterit*, an ſpecialibus, e. g.

ſi hoc

(i) Lauterb. de pec. aduent. irreg. l. c.

(k) l. 7. §. 4. D. de donatt. l. 25. §. 1. D. de m. c. donatt.

(l) LL. citatt.

(m) arg. Nou. CXVII. c. I. l. 7. C. de bon. quae lib. Berlich. III. c. I. n. 21. Ludou. vſu pract. diſtinct. iurid. tit. de pec. diſt. 4.

(n) l. c.

(o) l. 75. l. 77. §. 26. D. de legat. 2. Berg. oecon. iur. l. II. tit. 2. §. 27.

(p) Caut. teſtam. c. III. §. 37.

si hoc testamentum vim testamenti non habebit, vt iure codicillorum valeat, volo. Illo casu, quia m. c. donatio verbis testatoris comprehenditur, testamentum qualitatem m. c. donationis consequitur; non vero hoc, quia is, qui codicillari voluit, non censendus est m. c. donare voluisse. Alia vero esset ratio, si mentio m. c. donationis in clausula esset facta. (q)

V.

At si dispositiones inter viuos respicias, maiorem filiofamilias datam esse licentiam reperies. In lege (r) expresse dicitur, *si quidem perfectae aetatis sint, licet sub potestate sint, licentiam habeant, quo volunt modo disponere.* Vnde colligitur, filiosfamilias impuberes et minores non nisi tutorum curatorumue auctoritate vel consensu de rebus suis disponere, ad maiorem vero aetatem prouectos patrumfamilias instar bona aduenticia irregularia administrare, (s) ita tamen, vt filiafamilias in Saxonia curatoris consensum in causis quibusdam adhibeat. Eaque administratio non ad extraiudicialia solum, sed et ad iudicialia pertinet. (t) Bergerus quidem, (v) Brunneman-

(q) confer. Stryk. l. c.

(r) Nou. CXVII. c. I.

(s) Lauterb. de pec. aduent. irreg. §. 23. disputt. acad. vol. III. p. 306. P. Muller. iurisprud. elem. disput. XXIII. cor. 3.

(t) Huber. praelect. ad D. tit. de iudic. §. 15.

(v) oecon. iur. L. IIII. tit. 7. §. 1.

nus (x) et Strauchius (y) distinguunt, vtrum peculium legis beneficio filio fuerit adquisitum, an patris voluntate indirecta. Hoc casu patris consensu opus esse filio in iudicio agenti, non vero illo, contendunt. Idem quoque Lauterbachio placet, (z) patris auctoritatem et consensum ideo exigenti, vt iudici constet, eius non esse vsumfructum, cum quo Ludouici consentit, (a) qui illud addit, patrem ad consentiendum cogi posse. Sed ignorant iura hanc distinctionem. Lex enim, (b) qua sententia ista nititur, de patre, qui filii tutelam, seu curam suscepit, loquitur, id quod Gothofredus obseruat. Si ergo pater tutor non est, neque filius iustam aetatem attigit, tutoris siue curatoris administrantis consensu opus est sine vllo bonorum discrimine. Aduersario vero negante, filio ius esse secum in iudicio agendi, exigui erit laboris, qualitatem peculii, de quo contenditur, ob oculos ponere.

VI.

Illud vero quaerendum, vtrum filiofamilias de rebus eiusmodi cum patre contrahendi ius sit, nec ne? Obstare videtur, quod pater et filius iure

(x) commentar. ad l. vlt. C. de bon. quae lib.
(y) differtt. ad ius Iustin. diss. XXI. §. 12.
(z) de pec. aduent. irreg. §. 24. disputt. acad. vol. III. p. 306. Idem de peculiis filiorumf. §. 14. n. 4. h. c. p. 336.
(a) vs. pract. distinct. iurid. p. II. tit. de pec. p. m. 13.
(b) l. vlt. pr. et §. 1. C. de bon. quae lib.

iure Romano pro vna perſona habebantur, (c) adeoque obligatio, aut actio, inter patrem et filium naſci non poterat. (d) Sed leges, quibus haec ſententia roborari ſolet, de iis tantum rebus explicandae ſunt, quae patri adquiruntur, (e) non vero de iis, quarum dominium et vſusfructus filio conceditur, quippe quae iureconſultorum iſtorum aetate, quorum opiniones ibi traduntur, nondum erant cognitae. Itaque cum modo (f) *ad ſimilitudinem caſtrenſis peculii omnis facultas* liberis permittitur, modo (g) *licentia quo volunt modo diſponere*, modo (h) inter patrem et filium de rebus caſtrenſibus contrahi poſſe dicitur: iure meritoque colligitur, filiumfamilias de bonis his valide cum patre paciſci. (i) Hac in quaeſtione diſſentientem habeo Goeddeum, (k) qui filium cum patre contrahere poſſe negat, ob defectum iuris familiae, (id quod in caſtrenſibus contrahendi licentiam tri-

(c) l. vlt. C. de impub. et alior. ſubſt. §. 4. I. de inutil. ſtipul.
(d) l. 2. D. de contrah. emt. vendit. l. 7. D. de O. et A. l. 16. D. de furt.
(e) d. §. 4. I. de inut. ſtipul.
(f) l. 7. C. de bon. quae lib.
(g) Nou. CXVII. c. I.
(h) d. l. 2. pr. D. de contrah. emt. vend.
(i) Lauterb. de pec. adu. irreg. §. 23. disp. acad. vol. III. p. 308. Hahn. diſſert. iurid. diſſ. II. th. 31. Struuii Syntagm. iur. ciuil. exercit. VI. th. 42. Berger. oecon. iur. l. III. t. 1. §. 6. n. 2. Stryk. ad Laut. p. 299. Lynker. deciſ. 1349.
(k) de contrah. et committ. ſtipul. c. VII. §. 43.

bueret) et quod Nou. CXVII. de iis tantum esset accipienda, quibus iure stipulari liceret. Consentit fere cum hoc Lynkerus (l) qui l. 4. D. *de iudic.* hanc sententiam stabiliri dicit, cuius haec sunt verba, *lis nulla nobis esse potest cum eo, quem in potestate habemus, nisi ex castrensi peculio.* Lex vero ista e Caii L. I. *ad edict. prouinc.* exscripta parum praesidii continet, dum Caii aetate non alia quam profecticia et castrensia bona filiis concedebantur. Sed quorsum haec disputo? Grauissimorum iureconsultorum sententia patrii mores dudum a iuris Romani austeritate recesserunt, et contractus inter patrem et filium initos probarunt. (m) Vt autem filio cum patre de bonis castrensibus vel quasi contracturo cauendum putat Strykius, (n) vt exprimatur, qua de re contractus sit initus: ita in aduenticiis irregularibus idem seruandum puto, ne litigandi materia ministretur.

VII.

Ex iis igitur, quae de facultate contrahendi dicta sunt, per se quisque intelliget, nihil iam obstare, quo minus pro patre filiusfamilias fideiubeat, id quod et Goeddeus, diuersa licet de contractibus inter patrem et filium sentiat, vberius docet, simulque aduersariorum argumenta refutat. (o)

VIII.

(l) anal. iur. vniuers. ad I. l. III. t. 20. §. 6.
(m) Beyer. delin. iur. Germ. L. I. c. 26. pos. 45.
(n) caut. contract. s. 1. c. 2. §. 26.
(o) de contrah. et committ. stip. c. VII. n. 60. seqq. quem vide.

VIII.

An vero patri donare licet? Cum leges liberum disponendi, adeoque quocunque modo paciſcendi contrahendique arbitrium filiofamilias concedant et donationem e peculio caſtrenſi factam probent, (p) idem in hoc licitum esſe, tam inter viuos, quam mortis cauſa, affirmare non dubito. (q) Neque enim obſtant verba, *filiusfamilias donare non poteſt, etiamſi liberam peculii adminiſtrationem habeat;* (r) quippe in quibus de peculio profecticio ſermo eſt, (cum vox peculii abſolute poſita profecticium innuat) (s) quibusque de donatione in extraneum collata agitur. (t) Iure tamen Saxonico electorali (v) aliud introductum, quo filiifamilias minores patribus donare prohibentur, licet magiſtratus auctoritas interuenerit. Idem vero ius rebus mobilibus a parentibus liberos donari patitur. (x)

VIIII.

Non autem vt filiofamilias peculio aduenticio extraordinario inſtructo pater posſit donare, ex iis, quae iam dixi, ſequitur. Quare hoc loco

 quaeſtio

(p) l. 3. §. 4. D. de donatt. inter v. et v.
(q) Lauterbach. de pec. adu. irreg. §. 25. disp. acad. Vol. III. p 307. Carpz. reſp. l. VI. t. 10. r. 118. n. 8. ſeqq. Beyer. delin. iur. Germ. l. I. c. 26. poſ. 42.
(r) l. 7. D. de donatt.
(s) Berger. oecon. iur. l. II. t. 2. §. 33. n. 3.
(t) Carpz. l. c. n. 10.
(v) deciſ. 23.
(x) Carpz. l. c. n. 12. Berger. oecon. iur. l. c. §. 28. n. 3.

quaeſtio iſta erit examinanda. Iure Romano pater filio donare non poteſt, (y) eam videlicet ob rationem, quia pater ob vinculum patriae poteſtatis ſibi ipſi donare videtur. (z) Cum ergo a patre profecta filio adquiri nequeant, neque introductis peculiorum diuerſis generibus id ſit mutatum, (a) eiusmodi donatio ad peculium profecticium referenda eſt, quae morte demum, vel emancipatione confirmanda et poſt mortem patris conferenda. (b) Quasdam vero donationes inter patrem et filium ius etiam Romanum permittit, vt militiae, (c) ſtudiorum (d) et matrimonii cauſa, (e) vel ob bene merita, (f) neque minus iureiurando confirmatas. (g) Haec moribus noſtris contraria videntur Strykio, (h) qui aequitati non conuenire arbitratur, vt donatio patris hodie ſit irrita, praeſertim, ſi de ſeria patris voluntate conſtaret. Quin etiam pater donans filium emancipaſſe videtur. (i) In foro certe Saxonico conſuetudine obtinuit, vt rerum mobi-

(y) l. 11. C. de donatt.
(z) Huber. praelect. ad I. tit. de donatt. §. 6.
(a) l. 6. C. de bon. quae lib.
(b) Gail. obſeruatt. l. II. obſ. 38. n. 12.
(c) l. 11. D de caſtr. pec. l. 1. C. cod.
(d) l. 50. D. fam. erciſc. l. 4. C. de aduoc. diuerſ. iudic.
(e) Carpz. p. II. c. 12. d. 22. n. 4. 5.
(f) Tiraquell. ad l. ſi vnquam C. de reuoc. donat. p. m. 120. n. 20.
(g) Carpz. l. c. n. 7.
(h) Vſ. mod. pand. tit. de pec. §. 5.
(i) Carpz. l. c. n. 15.

mobilium donatio a patre profecta omnino sit valida, non modo earum, quas ius Saxonicum commemorat, (k) i. e. quae ad instruendam militiam faciunt, sed quarumcunque. (l) Sunt quoque, qui strenas, quibus parentes liberos calendis Ianuariis munerant, his hodie adquiri putant. (m) Quae cum ita sint, statuere licebit, quascunque donationes parentum hodie esse ratas, idque ea maxime de causa, quod apud Germanos pater et filius pro vna persona non sunt habiti: (n) donata vero res non ad peculium aduenticium irregulare, sed ad regulare pertinebit, quamuis filius bona ad illud spectantia iam antea adquisiuerit.

X.

Nunc ad matrem venio. Haec filio in patria potestate constituto olim donare non poterat. (o) quia eiusmodi liberalitate non filio, sed patri fuisset adquisitum. At inter virum et vxorem donationes erant prohibitae. (p) Postquam vero filiisfamilias peculia concessa sunt, eamque ob causam non omnia illis data in patrem transire coeperunt, lex ista in vsu esse desiit. Quare

 quae

(k) Ius prouinc. lib. I. art. 10.

(l) Carpzou. p. II. c. 12. d. 22. d. 9. seq. Thomas. de vsu iur. pat. Rom. c. II. §. 4.

(m) Richter. semicent. quaest. q. 45. Wilduogel chronoscopia leg. c. III. de eo quod iust. circa nou. ann. §. 23.

(n) Heineccii el. m. iur. Germ. l. I. §. 143.

(o) l. 3. 4. D. de donatt. inter V et. V.

(p) tit. D. de don. inter V. et. V.

quae hodie filiofamilias a matre donantur, ipſi procul dubio adquiruntur. (q) Anne vero mater donatione ſua peculium aduenticium extraordinarium augere poteſt? Hac eam conditione, ne vſumfructum pater conſequatur, filio donare et hac ratione extraordinarium peculium aduenticium vel conſtituere, vel augere, arbitror, ob verba Iuſtiniani, (r) *ſancimus igitur, licentiam eſſe matri ---- donare, aut etiam per vltimam relinquere voluntatem*, quibus tam de collatione inter viuos, quam ea, quae m. c. fit, expreſſe agitur, quod particulae *aut etiam* ſatis ſuperque indicant. Quod ſi vero mater ea lege filio quid donauerit, aut legauerit, vt id in caſtrenſi peculio habeatur, id quidem huic peculio non adgregatur, (s) ea vero voluntatis eſt vis, vt patre ab vſufructu excluſo, donata ad extraordinaria adventicia referantur. (t)

XI.

Iam illud inquirendum, an conuentio de bonis hisce inter fratres, qui ſub eadem poteſtate ſunt, valeat. Naturalem quidem, non vero civilem, naſci obligationem inter fratres, niſi de caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, aut aduenticiis irregularibus pactum fuerit initum, contendit Struvius.

(q) Carpzou. p. II. c. 12. d. 23. Stryk. Vſ. mod. pand. tit. de donatt. inter V. et V. §. 2.
(r) Nou. CXVII. c. I.
(s) l. 8. D. de caſtr. pec.
(t) Stryk. adnott. ad Lauterbach. p. 254.

vius.(v) Ne naturalem quidem naſci obligationem exiſtimat Goeddeus. (x) Sed diſtinctione aliqua, opinor, opus eſt. Quamdiu vna peculii ſpecies fuit, quaecunque obligationes in patrem transibant; idque vſu ſeruatum eſt, introducto licet peculio caſtrenſi, niſi de hoc conuentio esſet inita. At poſtquam Conſtantini M. eiusque ſuccesſorum conſtitutionibus ſancitum eſt, vt quaecunque bona extra cauſam patris adquiſita filiifamilias ſibi haberent, mutatio aliqua iuris antiqui facta eſt, vt conuentiones quaelibet, modo peculium profecticium non reſpicerent, inter fratres ſubſiſterent, et obligationem ciuilem parerent. Quod ſi ergo filiusfamilias cum fratre, qui in eadem poteſtate eſt, contrahat, vtrinque naſcitur obligatio efficax, atque id, quod ex ea adquiſitum, aduenticiorum numero habetur; ita, vt, ſi contractus de re ad peculium irregulare pertinente fuerit initus, ad idem referatur, quod ex eo debetur, ſi vero nulla de re, ſed de facto, ad regulare. Eaque diſtinctio non modo ſi cum fratre, ſed ſi cum alio quocunque negotium intercesſerit, obtineat, necesſe eſt. Cum itaque ex his conſtet, patriam poteſtatem non impedire, quo minus fratres inter ſe paciſcantur: eosdem quoque, ſi caſtrenſia vel irregularia ipſis ſint bona, ſibi donare posſe apparet, ea tamen ratione, vt donata peculii aduenticii ordinarii ſint. Vt autem mater, extraneusque quilibet patrem

(v) Syntagm. iur. ciu. ex. VI. th. 42.
(x) de contrah. et committ. ſtipul. c. VII. n. 90.

patrem vsufructu rei donatae prohibere potest: ita idem fratri licere videtur. (y)

XII.

Sed ante, quam ad alia transeo, de mutuo vt paucis disseram, necesse est. Ex iis enim, quae ante a me disputata sunt, apparet, filiumfamilias de peculio aduenticio irregulari libere contrahere; quare et illud inuestigandum, an ei contra senatusconsultum Macedonianum credi liceat, quo cautum, ne creditori filiofamilias pecuniam credenti actio petitioque daretur, nisi is forte castrense peculium habeat. (z) Senatusconsulto semper locum esse, nisi castrense peculium adsit, colligunt nonnulli; (a) idque eam ob causam, primum quod Iustinianus alio loco (b) de solo milite loqueretur, adeoque lex haec correctoria extensiue non esset interpretanda, deinde, quod filiusfamilias in peculio aduenticio irregulari (quo argumento Lauterbachius vtitur) pro patrefamilias non haberetur. At vero legem istam Iustinianeam, in qua praesidium quaeritur, correctoriam esse, plane nego, cum aliae (c) eadem fere tradant, ipsaque ratio in illa ex-

(y) arg. Nou. CXVII. c. I. pr.

(z) l. 1. D. de Scto Maced.

(a) Zanger. de exceptt. p. III. c. 12. n. 65. Lauterbach. de pec. adu. irreg. §. 26. disputt. acad. vol. III. p. 307. Idem de pecul. filiorumf. §. 14. n. 4. l. c. p. 336. Idem in compend. tit. de Scto Mac.

(b) l. f. C. ad Sctum Maced.

(c) l. 1. §. 3. l. 7. D. de Scto Mac.

expresſa, *quod in pluribus iuris articulis filiifamilias milites non abſimiles videantur hominibus, qui ſui iuris ſunt, iis* etiam applicari posſit, qui irregulare peculium aduenticium ſunt conſecuti. Quoniam ergo leges (d) liberam de eo diſponendi facultatem indulſerunt, neque dici poteſt, filiumfamilias, quamuis militem, vere esſe patremfamilias, cum poteſtati alterius ſit ſubiectus, neque alia negotia praeter teſtamentifactionem, patresfamilias exigant: tuto ſtatuere licebit, filiumfamilias peculium aduenticium extraordinarium habentem ex cauſa mutui obligari, ideoque Senatusconſulto non iuuari. (e) Ac, ſi dicendum, quod res eſt, ſententia haec principiis iuris tam conſentanea eſt, quam quae maxime. Ratio Senatusconſulti eſt, *quia ſaepe onerati aere alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam conſumebant, vitae parentum inſidiabantur.* (f) Haec ratio peculio caſtrenſi non quadrabat, vnde filiusfamilias miles Senatusconſulto ſe tueri non poterat. Peculii vero aduenticii extraordinarii parem esſe conditionem, quis non intelligat. Parentum enim vitae non eſt metuendum, propterea quod filius habet, vnde creditori ſatisfaciat, non exſpectata morte illorum. Is tamen non in ſolidum, ſed vsque ad quantitatem

(d) Nou. CXVII. c. 1. l. 7. C. de bonis, quae lib.

(e) Coccei. ius controuerſ. ciu. tit. ad Sct. Mac. q. 6. Stryk. in adnott. ad Lauterb. p. 249. Idem caut. contr. ſ. II. c. 1. §. 15. Berger. oeconom. iur. L. III. t. 2. §. 2. n. 10.

(f) §. 7. I. Quod cum eo, qui in al. pot.

tatem peculii condemnari poteſt. (g) Nam cum a peculio caſtrenſi ad aduenticium irregulare argumentum ductum ſit, ob leges ante allegatas, (h) ſequitur, vt in hoc idem ſit obſeruandum, quod leges de illo expresſe ſtatuunt. Ex his igitur conſtabit, quae in iure Romano de pecunia a filio mutuum data vindicanda praecipiuntur, (i) ad peculium aduenticium plenum non pertinere, quod a peculio profecticio, de quo lex iſta agit, toto coelo differt. Neque, quod Struuius ſtatuit, (k) numos a filiofamilias inuito patre e peculio aduenticio ſolutos vindicari vel condici posſe, hic applicari poteſt. Quanquam enim leges a Struuio adductae de peculio profecticio agunt: e iuris principiis tamen intelligitur, eum de peculio aduenticio ordinario ſolummodo loqui. Quia enim pater huius fructus percipit, ipſius intereſt, ne ſe inſcio ſoluatur: in extraordinario vero patris vſusfructus cesſat, eamque ob cauſam ſoluta non posſunt vindicari, aut condici, niſi filiusfamilias ſoluens fuerit impubes. Hic ſine tutoris auctoritate ſoluere prohibetur, (l) quare pater tutor ſolutos numos exſtantes vindicare, conſumtos condicere poteſt.

XIII.

(g) arg. l. 2. D. de Scto Maced.
(h) l. 1. 2. D. de Scto Maced. l. f. C. eod.
(i) l. 3. §. 2. de Scto Maced.
(k) Synt. iur. ciu. ex. XX. th. 56.
(l) l. 14. §. 1. l. 15. D. de ſolutt. l. 9. §. 2. de auct. et conſ. tut.

XIII.

Ac, ne quid praetermiſiſſe videar, dum de iure filiifamilias in peculio aduenticio irregulari loquor, hoc loco perſtringenda erit quaeſtio, an filius praedium a patre venditum retrahere poſſit. Quam quaeſtionem cum ſupra (m) attigerim tantum, vberius ea iam erit pertractanda. Filium res venditas a patre reuocare, legibus aduerſari videtur, quae facta parentum a liberis impugnari nolunt. At nihilominus Tiraquellus (n) et Struuius (o) ius retrahendi filiofamilias vindicant, quamuis patris fuerit heres, quam ſententiam Reinkingkius, (p) licet contrarium tueatur, pluribus iureconſultis probari teſtatur, neque temere ab ea in foro recedendum exiſtimat. Neque a iuris ratione ſententia iſta eſt aliena. Cum enim retractu non reſcindatur contractus, (q) neque reuerentiam aduerſus patrem laedit, neque eius factum impugnat reuocans, ſed probat potius, ſeque in prioris emtoris ſubſtitui vult locum, rem vero non vt filius aut heres, ſed vt agnatus petit. (r) Atque eandem ob rationem, quod filius ius retrahendi a lege, non vero a patre, conſecutus eſt, pater rem vendens renunciatione ſua filium retracturum impe-

(m) c. II. §. 10.
(n) de retractu lignag. §. 1. gl. 9. n. 75.
(o) Synt. iur. ciu. ex. XXIII. th. 56.
(p) de retractu conſanguin. q. II. n. 400. 432.
(q) Reinkingk. l. c. n. 437.
(r) Stryk. de ſucceſſ. ab int. d. VI. c. 2. §. 14. et 22.


impedire nequit. (s) In feudo quoque retractui locum esse statuunt Brunnemannus, (t) Mynsingerus (v) et ceteri ab his allegati iureconsulti; sunt tamen, qui ab his dissentiant. (x) Quin etiam patrem venditorem reuocare posse, ex iis, quae supra (y) exposita sunt, elucet. Quid si vero peculii quantitas redimendo praedio non sufficeret? Neque id reuocationem impedire certum est, cum filius bonis plane destitutus reuocare possit. (z) Ceterum filiisfamilias retracturis idem, quod aliis, temporis spatium est praefinitum, nempe in Saxonia annus et sex septimanae, extra eam annus plerumque et dies. Si vero retracturus impubes, vel minor est, secundum iura quorundam locorum annus non ante incipit, quam ad maiorem peruenerit aetatem (a)

XIIII.

Atque vti liberis retrahendi ius est; ita quoque aequitatis ratio postulare videtur, vt parentibus idem concedatur. (b) Sed vt hoc iure vti liceat, requiritur, vt liberi sint ii, qui et bona a parentibus

(s) Lynker. conf. r. XI. 27.
(t) cent. II. decis. 41. n. 8.
(v) cent. IIII. obs. 85. n. 3. seqq.
(x) Reinkingk. l. c. n. 416.
(y) c. II. §. 10.
(z) Stryk. l. c. §. 14.
(a) Reinkingk. l. c. q. VII. n. 149.
(b) Stryk. l. c. §. 33.

bus vendita reuocare posſint, hoc eſt legitimi; (c) deinde vt conſuetudine retrahendi facultas ad bona auita non ſit reſtricta. Nam ſi moribus alicubi receptum, vt in praediis adquiſitis omne ius retractus excludatur, non niſi eo caſu praedium a filiofamilias venditum reuocare liceret, ſi hoc a maioribus poſſeſſum in filiifamilias peculium translatum eſt, e. g.



ſi E vel F praedium a patre ſeu auo A acceptum conſobrino ſuo D ea lege donaret, ſeu per vltimam voluntatem relinqueret, ne patri ipſius C vſusfructus adquireretur, atque ille praedium illud patre inſcio venderet extraneo. Vbi vero non requiritur, vt bona retrahenda a maioribus retrahentis profecta ſint, ibi aliis quoque caſibus retrahi poſſe puto, vt ſi filius praedium auitum ex haereditate matris adquiſitum alienet. Attamen quae de iure retractus dicta, in Saxonia electorali nulli ſunt vſui, propterea quod legibus prouincialibus ſolis liberis retractus gentilicius conceſſus. (d) Illud quoque notandum,

D prae-

(c) Reinkingk. l. c. qu. II. n. 241. ſeqq. Stryk. l. c.
(d) Carpzou. p. II. c. 31. d. 14.

praedium a filio alienatum a matre quoque posse retrahi, (e) cum foeminae hac in re aequali cum masculis vtantur iure. (f)

XV.

Licetne vero filiisfamilias vindicare ea, quae pater tutor aut curator illegitimo modo, neglectisque iis, de quibus postea agendi locus erit, sollemnitatibus vendidit? Id quidem licere, leges (g) docent, quibus minoribus et filiisfamilias facultas vindicandi, vel, re amissa, condicendi tribuitur. Sed obstare videntur aliae leges, (h) quae res a successore venditoris vindicari negant. Non est vero quod has in vniversum aduersari credamus. Nam si filiusfamilias vindicaturus heres patris non est, exceptione ista non submouebitur, id quod alii ad eum quoque casum, si filius in legitima solum esset institutus, vel alienatio patris hereditati ipsius legitimae detrimento fuerit ob l. 32. C. *de inoff. test.* extendi volunt. (i) Quamdiu vero filiusfamilias possit vindicare, id tum indicabo, cum praescriptionem rerum pupillarium attigero.

XVI.

Succedit alia quaestio. Filiumfamilias de peculio

(e) Stryk. l. c.

(f) Stryk. l. c.

(g) l. 16. C. de praed. min. et al. reb. l. 1. in f. C. de bon. mat. l. 4. in f. C. de bon. quae lib.

(h) l. 2. l. vlt. D. de except. rei vend.

(i) Lynker. anal. iur. vniu. ad Struuii synt. iur. ciu. l. XXII. t. 3. th. 37.

culio aduenticio extraordinario libere disponere; et vendita reuocare, demonſtratum eſt. Quare nunc diſpiciendum, an is a patre laeſus reſtituatur in integrum. Id quidem his verbis affirmat Modeſtinus, *etiam ſi patre eodemque tutore auctore pupillus captus probari poſſit, curatorem ei poſtea datum, nomine ipſius in integrum reſtitutionem poſtulare, non prohiberi.* (k) Quibus Iuſtiniani verba (l) contradicunt: *ſancimus nullo modo, neque aduerſus parentes vtriusque ſexus, neque aduerſus patronum vel patronam dari reſtitutionem. Nam perſonarum reuerentia omnem eis excludit reſtitutionem: cum procul dubio ſit, etiam ipſas perſonas cauere, ne quid ſuae opinioni contrarium exiſtat.* Quem legum disſenſum, ſi quis eſt, vt tollamus diuerſi conſtituendi erunt caſus. Tametſi enim quicunque minor laeſus, qui poteſtati tutoris vel curatoris ſubiectus fuit, praetoris beneficio in integrum reſtituitur: (m) alia tamen eſt ratio filiifamilias, qui in tutela, ſeu cura patris fuit. Is ſi viuente patre reſtitui in integrum cupit, diſtinguendum, vtrum ex cauſa aetatis, an ex alia communi, puta, metus, doli, obſentiae, aliusque impedimenti reſtitutionem petat. Ex his enim reſtitutionis auxilium conſequitur, ita tamen, vt

(k) l. 29. pr. D. de minor.

(l) l. 2. C. qui et aduerſ. quos in integr.

(m) l. 3. C. de in integr. reſtit. min. l. 2, 3. 5. C. ſi tut. vel curat. interu.

doli mentione abstineat. (n) Ego vero remedium ex tali caufa concesfum actionem in factum dici mallem, quam leges olim filiis indulferunt; (o) quamuis a reftitutione in integrum vix differat, cum negotium illa aeque refcindatur atque hac. (p) Quod fi vero aetatis infirmitate fe lapfum esfe dicat filiusfamilias, fubuenietur quidem per in integrum reftitutionem, fed in quibusdam tantum cafibus. Nam fi adverfus patrem, non vero eius, fed tertii factum, e.g. iudicis male iudicantis, reftitui vult, ei fubvenitur. (q) Ei quoque fuccurritur, qui reftitutionem aduerfus factum patris, non vero adverfus patrem, defiderat, e.g. fi filiusfamilias patri rem fibi antea donatam alteri donanti confenfit, isque rem eam vindicare cupit. (r) At fi aduerfus patrem eiusque factum reftitui poftulat, non eft reftituendus. (s) Quare fi minor cum patre contrahens fe captum dixerit, reftitutio non praeftatur; (t) quippe quam perfonae

(n) Berger. oecon. iur. l. III. t. 15. §. 15. n. 7. Idem ad l. 2. C. qui et aduerf. quos §. 18. 24.

(o) l. 11. D. et l. 5. C. de dolo malo.

(p) Berger. ad l. 2. C. qui et adu. quos §. 22. a quo disfentit Stryk. V. M. tit. de min. §. 12.

(q) l. 2. C. fi adu. rem iud. Berger. ad l. 2. C. qui et aduerf. quos §. 30.

(r) l. 5. §. 7. D. de minor. l. 2. C. fi adu. donat. Berger. l. c. Leyfer. meditt. ad pand. fp. LX. m. 9.

(s) l. 2. C. qui et adu. quos Berger. l. c.

(t) Berger. refp. p. I. r. 280. p. 388.

nae reuerentia excludit. Hodie autem liberos aduerſus parentes ob laeſionem magnam reſtitui, non vero ex edicto praetoris, putat Strykius, (v) cuius ſententiae ſubſcribere non dubito, quia remediis ciuilibus ordinariis, quorum in numero reſtitutio ex l. 2. C. *de reſcind. vend.* eſt, quae, licet dolo quis non fuerit circumuentus, conceduntur, (x) adeoque famoſa non ſunt, filius contra patrem vti non prohibetur. His itaque locus, etiamſi laeſus in laedentis poteſtate, quippe cui in factum quoque agere permisſum erat, vt iam ante dictum. Ipſe etiam Iuſtinianus, qui liberis aduerſus parentes omnem fere opem denegasſe videtur, legem a ſe latam (y) ita explicat: (z) *Sancit enim noſtra potentia, vt omnis reuerentia, quae parentibus debetur a liberis, item honor atque obſequium parentibus conſeruetur: dum tamen nihil ab ipſis in horum detrimentum fiat.* Idem Iuſtinianus ſingulare quid ſanxit, (a) vt liberis aduerſus matrem ad ſecunda vota transeuntem reſtitutionis auxilium praeſtetur, etiam ſi tutelam non gesſerit. (b) Vbi vero filiofamilias cum extraneo negotium fuit, accedente patris auctoritate, ibi praetorem ſe interponere,

 nullum

(v) Vſu mod. pand. tit. de min. §. 12.
(x) Carpzou. reſp. l. V. t. 6. r. 53. n. 8.
(y) l. 2. C. qui et aduerſ. quos in integr. reſt.
(z) Nou. CLV. c. I.
(a) Nou. cit.
(b) Berger. ad l. 2. C. qui et adu. quos in integr. reſt. §. 38.

nullum plane eſt dubium. (c) Quo caſu reſtitutio filiofamilias circumſcripto non deneganda, licet is, contra quem impetratur, patrem auctorem conuenire poſſit. Non enim directe contra patrem reſtitutio datur, ſed is per conſequentiam tantum damnum patitur. (d) Quo magis ergo concedenda eſt, ſi pater nullum e negotio geſto lucrum percepit, eamque ob cauſam nihil ipſi metuendum eſt. (e) Quin etiam tunc reſtituitur filiusfamilias, ſi pater ei, a quo circumſcriptus eſt, ſuccedit (f) vel filiusfamilias eius heres factus eſt, quem pater circumuenit. (g) Quid vero ſi mortuo patre filius reſtitutionis auxilium implorat? Audiendus erit, ſi hereditate paterna abſtinuit, vel ex ea cauſa reſtitutionem petit, ex qua ipſe pater tutelam ſeu curam gerens fuiſſet reſtituendus. (h) At ſi adita hereditate reſtitutionem deſideret, non frui videtur praetoris beneficio, quia patrem repraeſentat, ideoque facta eius reuocare nequit. Quoniam vero liberi parentum facta propria tantum, non autem, quae alieno nomine hi ſusceperunt, praeſtant, non eſt, quod eos a reſtitutione

(c) l. 29. de minor. Oddus de reſt. in integr. q. XVIII. a. 1. Brunnem. ad l. 2. C. qui et adu. quos n. 3.

(d) Oddus l. c.

(e) Brunnem. l. c. n. 4.

(f) Berg. ad. l. 2. C. qui et adu. quos §. 43.

(g) Berg. l. c.

(h) Stryk. ad Lauterbach. p. 83.

tione excludi dicamus. (i) Cum igitur filiusfamilias aduerſus patrem eiusque facta reſtituatur, ſequitur, vt eidem praetor aduerſus alios ſuccurrat, licet in tutela curaue patris vel alius cuiusquam fuerit. (k)

XVII.

Cum autem filiusfamilias ex omnibus cauſis tanquam paterfamilias obligetur, et ob id cum eo, tanquam cum patrefamilias, agi poſſit: (l) ſequitur, vt de peculio aduenticio extraordinario et agat et ab aliis conueniatur. Si autem impubes vel minor XXV. annis natu eſt, tutorem vel curatorem iudicium ſuſcipere oportet. (m)

XVIII.

An vero actio filiofamilias eſſe poteſt, contra parentes et fratres, quibuscum eum de peculio aduenticio irregulari contrahere ſupra dictum eſt? Filiumfamilias cum patre de aduenticiis, non niſi vt rationes reddat, vel adminiſtrationem dimittat, agere, contendit Goeddeus. (n) Sunt vero, qui contrariam ſequentes opinionem, filium patrem in ius vocare poſſe, ſi hoc ad ſecunda vota transeunte de bonis maternis,

 vel

(i) Berger. ad l. 2. C. qui et adu. quos §. 41.
(k) l. 29. pr. D. de minor.
(l) l. 39. D. de O. et A.
(m) Lauterbach. de pec. adu. irreg. §. 24. disputt. academ. Vol. III. p. 306.
(n) de contrah. et committ. ſtipul. c. VII. n. 50.

vel de iis quaestio sit, quorum vsusfructus filio adquireretur, contendunt. (o) Atque horum sententiam sequendam esse puto. Nam quia olim pater per filium adquirebat, pro vna habebantur persona, et vox filii tanquam vox patris intelligebatur; (p) ideoque lis nulla inter eos intercedere poterat. (q) Ast introductis peculiis rationi isti arctiores positi sunt limites, et quia filiusfamilias atque pater in peculio castrensi diuersae erant personae, sibique poterant obligari, factum, vt actio aduersus hunc legibus impertiretur. (r) Vnde recte infertur, in peculio aduenticio irregulari idem indultum esse filiisfamilias. Id quidem dubium cuiquam videri posset, propterea, quod filiusfamilias pro patrefamilias in peculio aduenticio irregulari non habetur. At neque in castrensi paterfamilias vere est, sed dicitur tantum, quia libera disponendi potestas ipsi data. Cum ergo filiifamilias liberam peculii extraordinarii habeant administrationem, atque de eo inter viuos disponant, haud est a iuris ratione alienum, a peculio castrensi ad hoc

(o) Lauterb. de pecul. adu. irreg. §. 24. disp. acad. Vol. III. p. 306. Stryk. Vs. mod. pand. tit. de iudic. §. 33. Berg. oecon. iur. l. IIII. t. 7. Beyer. delin. iur. ciuil. tit. de iudic. pos. 19. Eckolt. compend. pand. tractat. tit. de pec. §. 4. qui argumento l. 7. C. de dot. prom. in genere statuit litem de aduenticiis iuri non esse contrariam.

(p) §. 4. I. de inut. stipul.

(q) l. 7. D. de O. & A.

(r) l. 4. D. de iudic. l. 4. §. 1. D. de castr. pec.

hoc argumentum ducere. Quare eorum dissensu non commoueor, qui de re ipsa actionem inter patrem et filium institui posse negant, simulque contendunt, si de modo administrandi controuersia oriatur, iudicis implorationi, vel denunciationi saltim locum esse. (s) Etenim qui in hac sunt sententia, ius Romanum antiquum a iure constitutionibus imperatorum mutato non distinguunt. In hoc actio aduersus patrem filiofamilias expresse conceditur (t) his verbis, *si pater dotem pro filia simpliciter dederit, vel pro filio ante nuptias donationem fecerit, habeat autem filius vel in potestate constitutus, vel forte emancipatus res maternas, vel alio modo tales, quae adquisitionem effugiunt, quarum vsusfructus solus apud patrem remanet, vel quocunque modo poterat quasdam actiones contra patrem habere.* Qui ergo apud nos sententiam istam defendere poteris, qui diuerso plane iure vtimur? Ius enim Romanum ob fictam vnionem litem inter patrem et filium olim prohibebat: patrii vero mores istam ignorarunt, adeoque litem prohibere non potuerunt. (v) Anne igitur ius Romanum patriis moribus erit praeferendum, quod in subsidium receptum esse scimus? Praeterea illud quoque monendum, filiumfamilias cum patre litigaturum, hodie non teneri, vt veniam a magistratu

 ante

(s) Ludouici vsu pract. distinct. iuridic. tit. de pec. dist. 1.
(t) l. 7. C. de dot. prom.
(v) Thomas. de vsu iur. pat. Rom. c. II. §. 5. seq. Beyer. delin. iur. Germ. l. 1. c. 26. pos. 41.

ante impetret, id quod olim obſeruandum erat. (x) Actor enim reum in ius non vocat, et venia iſta cenſetur impetrata, ſi iudex imploratus reum citat. (y) Quorundam vero locorum leges, quae iuris Romani veſtigia premunt, praecipiunt, ne quis ſine iuſſu magiſtratus parentes in ius vocet. (z) Vt itaque ex his apparet, filiumfamilias hodie cum patre in iudicio contendere: ita nullum iam ſupereſt dubium, quin idem cum matre fratribusue de peculio aduenticio irregulari agat.

XVIIII.

Quotiescunque vero filiifamilias de peculio hoc pacti a parentibus, aut a fratribus ſororibusve conueniuntur, beneficio competentiae locus eſt. Etenim ob ius ſanguinis his tale conceſſum eſt, (a) quia parentes liberis, liberi parentibus ad praeſtanda alimenta in ſubſidium ſunt obligati. (b) Si inita de peculio aduenticio irregulari ſocietate actione pro ſocio conueniantur, eodem beneficio legis fruuntur, quippe quod omnibus ac ſingulis ſociis datum. (c) Attamen ſi filiusfamilias ab aliis, quibuscum contraxit, conue-

(x) l. 4. l. 13. D. de in ius voc.

(y) Carpzou. p. I. c. 2. d. 26. n. 5. Leyſer. meditt. ad pand. ſp. XVIII. coroll. 2.

(z) Ius Wurtemberg. P. I. t. 11. ius Pruten. l. I. t. 14. art. 6. §. 6.

(a) Zanger. de exc. p. II. c. 15. n. 8.

(b) Vinn. et Ludwell. ad §. 38. I. de act.

(c) l. 63. pr. l. 67. §. f. D. pro ſocio.

conuenitur, non in id, quod facere poteſt, ſed in ſolidum condemnatur, quamuis illud lege permisſum esſe videatur. (d) Lex enim, quae obſtare videtur, quaque praetor beneficium competentiae filio emancipato, exheredato, aut ei, qui ab hereditate paterna abstinuerat, ideo tribuit, quia iniquum esſet, eum in ſolidum condemnari, qui nullum e contractu commodum perceperat, (e) quodque verendum, ne, ſi recens emancipatos in ſolidum condemnare liceret, familiae disſiparentur, (f) de peculio profecticio et de poteſtate parentum antiqua agit. Quae ratio peculio aduenticio irregulari applicari nequit, quia e contractu de hoc inito omne damnum et commodum in filiumfamilias redundat. Quare actione e contractu pulſatus, vt ſolidum ſoluat, necesſe eſt.

XX.

Succurrit alia quaeſtio, liceatne compenſare, quae filius patri, vel pater filio debet? Quae quidem quaeſtio iure Romano disſoluta videtur. (g) Verum lex, quae hac de re ſupereſt, de peculio profecticio loquitur, atque compenſationem filiofamilias ob debitum patris concedit, *quia vnus contractus eſt*, id eſt, quia pater et filius habentur pro vna perſona. Haec ratio peculio aduen-

(d) l. 3. D. quod cum eo, qui in al. pot.
(e) Struu. ſynt. iur. ciu. ex. XX. th. 48.
(f) Huber. praelect. ad D. tit. quod cum eo, qui in al. pot.
(g) l. 9. D. de compenſatt.

aduenticio irregulari non quadrat. Quare omnino ſtatuendum videtur, neque filium, qui tali peculio vtitur, ea, quae pater debet, compenſare, neque patrem, quae filius. (h) A qua tamen regula eo caſu recedendum erit, ſi pater curam ſeu tutelam filii ſubierit. Tunc enim aequitati conſentaneum esſe dicitur, vt, ſi filiusfamilias conueniatur, in compenſationem deducatur, quod debetur patri. (i) Id vero, quod filio debetur, ſi pater petat, non poteſt compenſatio obiici eius pecuniae quam ipſe pater ſuo nomine aduerſario debet. (k)

XXI.

Ex iis itaque, quae de obligatione filiifamilias dicta ſunt, facile per ſe quisque intelliget, actioni de peculio ea, de quibus agimus, bona locum non facere. Iſta enim actione adiecticiae qualitatis tum erat opus, cum pater e contractu, quem filius in peculio profecticio inierat, conueniendus esſet. At ſi peculium aduenticium irregulare filio eſt, obligatur et directe conuenitur, vt e bonis ipſius creditori ſatisfiat.

XXII.

Haud aliter ſentiendum de actione tributoria, quae dabatur aduerſus patrem merces peculiares inique diſtribuentem. Haec peculium pro-

(h) Stryk. ad Lauterbach. p. 271.
(i) Carpz. p. I. c. 8. d. 7. n. 6.
(k) l. 23. D. de compenſatt.

profecticium tantum ſpectat, neque ad aduenticium, quamuis cum maxime velis, hodie transferri poteſt, quia mores noſtri priuatam diſtributionem parentibus non concedunt. (l)

XXIII.

Quid vero tum ſtatuendum, ſi pater ab eo, qui cum filiofamilias de peculio profecticio contraxit, conuentus id tantum, quod in peculio eſt, ſoluit? anne filius eſt obligatus, vt reliquum e bonis aduenticiis irregularibus praeſtet? Mihi quidem non videtur. Quamuis enim iure Romano filiusfamilias negotium contrahere poſſet, isque in ſolidum obligaretur, (m) ideoque, ſi pater peculium ademiſſet, nihilominus creditores cum ipſo agere poſſent: (n) id tamen in foris noſtris tantum efficacitatis non habebit, vt filius condemnetur in reliquum; propterea, quod nullum e contractu percepit commodum. (o) Auctore quidem Strykio (p) actio de peculio eam, quae e contractu nata eſt, non tollit, quia, vt iam ante dictum, *ſi pater filio peculium ademiſſet, creditores cum filio agere poſſunt.* (q) Age vero audiamus legem Strykio aduerſantem, (r) quae haec eſt: *Si ſemel actum ſit de peculio,*

(l) Stryk. vſ. mod. pand. tit. de tribut. act. §. 1.
(m) l. 44. D. de pec.
(n) l. 45. D. de pec.
(o) Stryk. vſ. mod. pand. tit. de pec. §. 3.
(p) l. c.
(q) d. l. 45. D. de pec.
(r) l. 47. §. 2. D. de pec.

culio, quamuis minus inueniatur rei iudicandae tempore in peculio, quam debet, tamen cautionibus locum esse non placuit de futuro incremento: hoc enim in pro socio actione locum habet, quia socius vniuersum debet. Si creditor serui ab emtore esset partem consecutus, competere in reliquum in venditorem vtile iudicium Proculus ait: sed re integra non esse permittendum actori diuidere actionem, vt simul cum emtore et cum venditore experiatur, satis enim esse, hoc solum ei tribui, vt rescisso superiori iudicio in alterum detur ei actio, cum electo reo minus esset consecutus. Et hoc iure vtimur. E qua cum appareat, ne apud Romanos quidem creditorem reliquum ab ipso filiofamilias actione e contractu consequi potuisse, sequitur, vt hodie excusso peculio nulla supersit actio, licet filiusfamilias praeter profecticia bona aduenticia irregularia possideat.

XXIIII.

Subiungam aliam quaestionem, an filiusfamilias delicto aeque obligetur, ac contractu. Filiumfamilias, qui ea est aetate, vt delinquere possit, delicto obligari, tam certum est, quam quod certissimum: (s) sed cum potestati patriae subiecti propriis olim destituerentur bonis, criminali tantum, non vero ciuili persecutioni dabatur locus, neque pater poterat conueniri; (t) propterea, quod delicta debent tenere suos auctores,

(s) l. 57. D. de iudic.
(t) l. 1. §. 7. D. de his, qui deiec. l. 58. D. de R. I.

ctores, peculium autem profecticium, quod iam antiquisſimis temporibus in vſu erat, liberis a parentibus negotiandi, non delinquendi cauſa erat datum. (v) Quam ob cauſam actio de peculio aduerſus patrem delinquentis non admittebatur, niſi filius fuisſet condemnatus, vel peculium ſcelere filii auctum, vel filius ob negligentiam potius, quam ob dolum puniretur. (x) Peculii aduenticii ordinarii aliam puto esſe rationem. In hoc enim cum patris ſit vſusfructus, conueniri quidem poteſt filius atque condemnari, vt damnum reſarciat: (y) ipſa tamen executio differenda, vsque dum patria poteſtas ſoluta. Quod ſi enim contractu filiusfamilias patris vſumfructum imminuere nequit: (z) idem multo magis de delicto a filio commisſo erit ſtatuendum. De peculio vero aduenticio extraordinario tale quid affirmare non auſim, quod filiusfamilias ratione huius haud ſecus obligatur, ac paterfamilias. (a) Vbi itaque a filiofamilias tali peculio mactato delictum committitur, poenali actione aduerſus eum experiendum, neque de peculio pater conuenitur; ſed filio condemnato actor immisſionem in peculium impetrat. Sed

(v) d. l. 1. §. 7. D. de his, qui deiecer.

(x) Gothofr. et Sturcius ad l. 58. D. de R. I. Brunnem. ad l. 3. D. de pec. n. 4.

(y) arg. l. 39. D. de O. et A.

(z) Meuii decisſ. p. VIII. d. 209. Stryk. vſ. mod. pand. tit. de pec. §. 6.

(a) Stryk. vſ. mod. pand. tit. de pec. §. 6.

Sed hoc, opinor, ita accipiendum, vt ad quantitatem peculii condemnetur, nisi praeter eius generis aduenticia alia adsint bona, quorum tam dominium, quam vsusfructus ad filiumfamilias pertinet, puta castrensia, seu quasi castrensia. Ex his tunc reliquum est petendum.

XXV.

Ceterum vtrum liberis ratione peculii aduenticii extraordinarii bona patris administrantis pignori sint obligatae nec ne, leges non loquuntur. Ea enim lex, qua hanc quaestionem decisam esse, videri posset, (b) de peculio aduenticio ordinario agit. Quoniam autem ob administrationem rerum aduenticiarum, quarum vsusfructus patri adquiritur, pignus tacitum in patris bonis concessit Iustinianus, eodemque beneficio pupilli in bonis tutorum fruuntur, (c) praetereaque pater aduenticia irregularia curans tutoris seu curatoris munere fungitur: (d) non absonum erit, statuere, in patris cum aduenticia ordinaria, tum extraordinaria administrantis bonis hypothecam tacitam locum habere. Quae quidem absque priuilegio est, ideoque ad tertiam classem pertinet, (e) incipitque a die suscipiendae administrationis. (f) Quae cum ita

(b) l. 6. §. vlt. C. de bon. quae lib.
(c) l. 20. C. de administr. tut.
(d) Brunnemann. ad l. 6. §. 4. C. de bon. quae lib. n. 15.
(e) Carpzou. p. I. c. 28. d. 113. p. II. c. 24. d. 18.
(f) d. l. vlt. C. de bon. quae lib.

ita ſint, Carpzouium contraria ſtatuentem (g) non curo. Is patrem aduenticia extraordinaria moderantem negotiorum geſtoris inſtar et a pignoris obligatione plane liberum eſſe contendit. Vt vero Lauterbachius dudum adnotauit, (h) hanc diſtinctionem leges non agnoſcunt. Ceterum temperare mihi nequeo, quin illud moneam, verba, (i) *maternis ceterisque donationibus* Carpzouii, (k) Lauterbachii (l) et Taboris (m) explicationibus aduerſari, qui lege iſta ratione maternorum tantum hypothecam tacitam in bonis patris concedi putant.

XXVI.

Attinet etiam dicere, quo temporis ſpatio res filiorumfamilias aduenticiae irregulares vſucapiantur, ſi eae durante patria poteſtate fuerint alienatae. Iureconſultorum ſcripta ſi conſuleris, reſpondebitur ex illis, res aduenticias filiorumfamilias XXX. annorum poſſeſſione adquiri, atque hanc vſucapionem poſt ſublatam demum patriam poteſtatem currere. Haec doctorum

E opinio

(g) P. II. c. 24. d. 17.

(h) de tacito pignore, §. 39. n. 4. disp. acad. vol. III. p. 402.

(i) l. 6. C. de bon. quae lib.

(k) P. I. c. 28. d. 113.

(l) de pecul. filiorumf. §. 12. n. 4. disp. acad. vol. III. p. 327. Idem de tacito pign. §. XI. n. 2. disp. acad. vol. III. p. 401. Idem de vſufr. pat. §. 41. n. 4. l. c. p. 1088.

(m) de patr. poteſt. n. 9. Tractatt. t. II. p. 933.

opinio legibus ſuffulta eſt, quae de bonis aduenticiis, quorum vſusfructus patri adquiritur, agunt, (n) ideoque in quaeſtione de peculio aduenticio extraordinario nullum ex iis peti poteſt argumentum. Sed ſi addideris l. 1. §. f. C. *de ann. except.* apparebit, Iuſtinianum in hoc idem ius ſeruari voluisſe, quippe in qua, quae de bonis maternis Conſtantinus ſanxerat, (o) ad quaecunque aduenticia extendi iubet, his verbis: *Ne autem imperfecta ſanctio videatur, cum in maternis quidem rebus filiisfamilias tempora exceptionum currere diſpoſitum erat, ex quo ſacris paternis abſoluti ſunt, in aliis, autem, quae minime adquiri posſunt, hoc non fuerat ſpecialiter conſtitutum: apertisſima definitione ſancimus, filiisfamilias in omnibus his caſibus, in quibus habent res minime patribus ſuis adquiſitas, nullam temporalem exceptionem opponi, niſi ex quo actionem mouere potuerunt, id eſt, poſtquam manu paterna, vel eius, in cuius poteſtate erant conſtituti, fuerint liberati.* Cuius legis verba, *vel eius, in cuius poteſtate erant conſtituti,* ſatis ſuperque declarare videntur, eam non de aduenticiis ordinariis ſolis esſe accipiendam, id quod cum Donello ſtatuit Brunnemannus. (p) Singulare id plane eſt, quod Iuſtinianus plus iuris filiisfamilias concesſerit, quam pupillis et minoribus. Horum res XXX. annis vſucapiuntur, ita

(n) l. 1. C. de bon. mat. Nou. XXII. c. 24.
(o) l. 1. §. vlt. C. de bon. mat.
(p) ad. d. l. 1. C. de ann. exc. n. 22.

ita tamen, vt praescriptio contra minores inchoari et coepta continuari possit, ademta omni spe restitutionis. (q) Sanxerat quidem olim Iustinianus, (r) vt res filiifamilias minoris XXV. annis donatae quinquennio, postquam esset maior factus, possent reuocari, si vero venditae decennio vel vicennio. Eam autem constitutionem ad filiosfamilias non pertinere, per se quisque intelliget, qui legem, quam paullo ante in medium adduxi, contemplatur.

XXVII.

Ante vero quam ad reliqua pertractanda me accingam, illud erit monendum, peculium adventicium extraordinarium mortuo patre non conferri, (s) et sublata patria potestate, id mutato pristino nomine naturam patrimonii induere. (t) Nam paterfamilias peculium proprie ita dictum habere nequit. (v)

(q) Berger. oec. iur. l. II. t. 2. §. 23.
(r) l. vlt. C. si maior fact. alienat. fact.
(s) l. vlt. C. de collatt.
(t) l. f. §. vlt. C. de inoff. test.
(v) l. 182. D. de V. S.

CAPVT IIII.

DE IVRIBVS PATRIS IN PECVLIO ADVENTICIO EXTRAORDINARIO.

I. Deſcriptio patris.
II. Vſufructu licet ademto, adminiſtratio tamen patri non eſt ademta.
III. Pater, qui tutorem non poſtulauit, hereditate non priuatur.
IIII. De nomine, quo tutela curaue patris appellanda.
V. Pater tutor aut curator eſt hodie confirmandus.
VI. Pater in iudicio agens tutorio vel curatorio indiget.
VII. Inuentarium ab eo conficiendum.
VIII. Hoc omiſſo, ſpecificatio iurata.
VIIII. Si neutrum editur, iuratur in litem.
X. Satisdatio ab eo exigitur.
XI. Rationes reddere tenetur.
XII. Pater debitor vel creditor filiifamilias non punitur ſuſcepta tutela vel cura.
XIII. Haec ceſſant, ſi pater remisſione vſusfructus peculium aduenticium irregulare conſtituit.
XIIII. In alienatione rerum immobilium magiſtratus decreto opus eſt.
XV. Pater aduenticia irregularia vendens de euictione non cauet.
XVI. Si vendenda non vendit, ſuum facit periculum.
XVII. Pater tutor transigit, permutat, donat, compromittit, pignus conſtituit et in ſolutum dat, nonnunquam auctoritate magiſtratus.
XVIII. Patre alienante exactior cauſae cognitio non exigitur.

I.

Nunc quoniam diximus, quo iure fruatur filiusfamilias in peculio aduenticio extraordinario, deinceps iura patris conſideranda ſunt. Pater autem nobis hoc loco eſt, qui poteſtatem in filium vel iuſtis nuptiis, vel legitimatione, vel adoptione eſt conſecutus.

II.

Primo itaque loco quaerendum eſt, an pater, cui vſumfructum ademtum esſe ſupra fuit expoſitum, hoc ſublato adminiſtratione etiam priuetur. Vſufructu licet ſublato, adminiſtrationem tamen ſaluam esſe, ideo crediderim, quia pater legitimus liberorum ſuorum tutor eſt, isque omnibus tutoribus ac curatoribus antefertur. (x)

 Idque

(x) P. G. Tholoſ. ſyntagm. iur. vniu. l. XI. c. 9. n. 34.

Idque eam maxime ob caussam, quod nemo patrem amore superare putatur. (y) Praeterea quoque tum demum filio hereditatem inuito patre adeunti curatorem dandum esse dicitur, (z) si pater administrationem detrectauerit. (a) Neque etiam putandum est, testatorem, qui vsufructu patrem interdicit, administrationem quoque adimere voluisse, cum caussa, ob quam vsusfructus reseruatus, ab omni suspicione possit esse remota. Quae rationes ab Hartmanno Pistoris allegatae (b) et a Carpzouio (c) atque Brunnemanno (d) approbatae, cum sint fortissimae, vtique iis erit inhaerendum. (e) Iussit quidem Iustinianus, (f) vt deficiente tutore aut curatore a testatore vel donatore dato a iudice quis constituatur: sed cum verba, quibus vtitur, neque ius antiquum tollant, neque patrem remoueant, non est, quod ab illa, quam modo propo-

(y) l. f. pr. C. de curat. fur.

(z) l. f. §. 1. C. de bon. quae lib.

(a) Lauterbach. de pec. adu. irreg. §. 21. disp. acad. vol. III. p. 305. Idem de pecul. filiorumf. §. 13. n. 1. l. c. p. 330. Idem de vsufr. pat. §. 29. n. 3. l. c. p. 1085.

(b) l. IIII. q. 11. n. 13.

(c) P. II. c. 10. d. 11.

(d) ad auth. excipitur C. de bon. quae lib. n. 4.

(e) Confer. Lauterbach. de pec. adu. irreg. §. 22. disputt. academ. vol. III. p. 305. vbi eorum, qui patri administrationem denegant, argumenta refutat.

(f) Nou. CXVII. c. 1.

propoſui, ſententia recedamus. Alia vero ratio eſt, ſi ob cauſam ſuſpicionis adminiſtratio ademta eſt; (g) quippe leges volunt, vt, ſi patris fides ſuſpecta, alii tutela ſeu cura committatur. (h) Apparet itaque, patrem bona liberorum ſuorum adminiſtrare, ſi velit, quamuis vſusfructus deficiat; modo tamen teſtator, poſthabito patre, tutorem ſeu curatorem non elegerit, quam licentiam leges indulſerunt. (i) Cogi autem patrem non poſſe, e verbis, *nolente autem patre res filii gubernare* (k) cognoſcitur.

III.

Sed ſi pater neque ipſe tutelam ſusceperit, neque tutorem a magiſtratu petierit, anne poena aliqua eum manet? Matrem liberis impuberibus intra annum tutorem non petentem hereditate priuari, certo certius eſt. (l) Eandem vero poenam patri tutorem non petenti irrogari, dubium videtur, propterea, quod legibus nihil hac de re continetur, ideoque latius eam extendere, iuris rationi non eſt conſentaneum. Neque haec verba huc pertinent, (m) *ſciant, qui ad*

(g) Brunnemann. ad auth. excipitur. C. de bon. quae lib. n. 4.
(h) l. vlt. §. 2. C. de ſentent. paſſ. Stryk. vſ. mod. pand. tit de pec. §. 14.
(i) Nou. CXVII. c. 1. §. 1.
(k) l. vlt. §. 1. C. de bon. quae lib.
(l) l. 2. §. 1. l. 4. D. qui pet. tutor. vel curat. l. 3. 6. C. ad Sctum Tertull.
(m) l. 10. C. de legit. hered.

ad successionem vocantur pupilli mortui, si defuncto eius patre tutorem ei secundum legem non petierint intra annum, omnem eis, siue ab intestato, siue iure substitutionis, successionem eius, si impubes moritur, denegandam esse. Nam patris in hac lege non fit mentio, sed reliquorum cognatione coniunctorum. Agitur quoque de pupillo, qui a filiofamilias longe distat. Hodie certe patris negligentiam poena ista non vindicari, verisimile videtur. Nam neque de matre et auia vna eademque Iureconsultorum opinio est. Regnerus poenam istam hodie in vsu esse negat, matrique tutorem non petenti mulctam tantum irrogari contendit. (n) Alii vero, inter quos Strykius eminet, ius Romanum vigere hodie statuunt, idque pluribus locis confirmatum esse, exemplis probant. (o) Vt igitur leges Romanae patri tutorem intra annum non petenti nullam negligentiae poenam constituerunt: ita neque patriae nostra iura, quibus hodie vtimur, aliquam edicunt. Exemplo nobis sit Serenissimi Ioannis Georgii primi, Ducis Isenacensis, constitutio de tutelis, (p) cuius verba sunt haec: *Den nächsten Anuerwandten vnd Bluts-Freunden liegt ob, vm Beuormundung der hinterlassenen Waisen zeitliche Ansuchung zu thun, oder da sie hierinnen säumig erfunden würden, soll nach Verfliessung eines Monats,*

(n) Cens. Belg. ad Pand. tit. qui pet. tut.
(o) vs. mod. pand. tit. qui pet. tut. §. 1. 2.
(p) §. 3.

Monats, von dem Tode des Verſtorbenen angerechnet, durch des Orts Obrigkeit zur Vormundſchaft Anordnung gemacht werden. Würde ſich nun iemand zu deren Vbernehmung nicht bequemen wollen, ſodann iſt er durch gebührende Zwangsmittel vnd richterliche Beſtraffung darzu anzuhalten, die Verwandten machen ſich aber durch dergleichen ohne erhebliche Vrſache vorgeſchüzte Verweigerung, vermöge der Rechte, der von dem Mündling etwa zu gewartenden Erbſchaft verluſtig. Addam Statuta Hamburgenſia. (q) *Wann keine Vormünder im Teſtament geſezt, noch die geſipte Verwandte ſich der Vormundſchaft gutwillig zu vnterfangen gemeint, ſoll alsdenn die Mutter, ſofern dieſelbe noch bey Leben, oder nach beyder Eltern Abſterben, die nächſten Blutsuerwandten ſchuldig vnd verpflichtet ſeyn, bey vns, als der Obrigkeit, den Kindern bequeme Vormünder zu verordnen, bittlich anzuſuchen, vnd im Fall ſolches von der Mutter vnd nächſten Bluts-Freunden, wie vor gemeldt, innerhalb drey Monate nicht geſchehen, ſollen ſie dadurch die Anwartung künftiger Erbfälle verwürket vnd zu derſelbigen Kinder Güter keinen erblichen Zugang haben.* Quia verò leges patrem tutorem legitimum conſtituerunt, ipſum quoque oportet, vt, ſimul ac filio peculium aduenticium irregulare obuenit, id adminiſtret, niſi tutorem vel curatorem petere malit. Vbi autem vtrumque omittit, a tutela ſeu cura remoueri poterit. (r)

(q) P. III. t. 6. art. 10.

(r) arg. §. 5. I. de ſuſpect. tut. l. 4. §. 4. D. eod.

IIII.

At vero quo nomine tutela ſeu cura a patre in hoc peculio ſuſcepta erit appellanda? Filii et nepotis emancipati bona patrem vel auum adminiſtrare *in natürlicher Vormundſchaft*, bona vero filiifamilias *in väterlicher Gewalt*, affirmat Bergerus. (s) Vnde colligo, tutelam curamue iſtam vocari poſſe *eine natürliche Vormundſchaft*, propterea, quod patri in aduenticiis irregularibus non plus iuris eſt, quam in bonis emancipati. Atque haec appellatio Carpzouio quodammodo probatur. (t) Illud quidem obſtare videtur, quod filius, qui peculium aduenticium extraordinarium adquiſiuit, adhuc ſub patria eſt poteſtate. Patrem vero non iure patriae poteſtatis tutelam ſeu curam in eo gerere, id argumento eſt, quod teſtator, vel donator, qui peculium adventicium irregulare conſtituit, alii adminiſtrationem committere poteſt; id quod ipſis verbis Iuſtiniani (v) docemur. Cuius legem, ſi Carpzouius (x) euoluiſſet (nam allegauit quidem, (y) ſed verba ipſa inſpexiſſe non videtur) non ſtatuiſſet arg. l. vlt. C. *de curat. fur.* et l. 4. C. *de bonis quae lib.* vi patriae poteſtatis etiam in bonis adventiciis irregularibus, tutelam deferri, adeoque

(s) oecon. iur. l. I. t. 4. §. 4. n. 1.

(t) Reſponſor. l. V. t. 8. r. 85. n. 5.

(v) Nou. CXVII. c. 1.

(x) reſponſor. l. V. t. 8. r. 84. n. 5. ſeqq.

(y) l. c. n. 7.

que patre inuito alienum tutorem eligi non posſe.

V.

Quoniam autem tutela, quae patri in his bonis defertur, legitima eſt, neque e patria poteſtate oritur: ideo meliori ille conditione esſe non poteſt, quam tutor curatorue quicunque, (z) eamque ob cauſam eadem fere, quae de his ſancita ſunt, ad illum applicari oportet; id quod ex iis, quae nunc dicentur, facile erit intellectu. Primo itaque pater aeque ac tutor alius a magiſtratu eſt confirmandus. (a) Nam Germaniae leges, quae de tutelis latae ſunt, (b) exigunt, vt omnes tutores teſtamentarii et legitimi confirmentur, ideoque hi ante confirmationem valide non posſunt adminiſtrare. (c) Pater autem, vt modo dictum, in legitimorum numero habetur. Accedit etiam illud, quod extra Saxoniam mater tutrix liberorum ſuorum confirmari ſoleat. (d) Atque hinc eſt, quod Carpzouii disſentientis auctoritas me non commoueat. Is enim in contraria non esſet opinione, niſi falſa perſuaſione inductus, ob patriam poteſtatem, hanc tutelam vel curam deferri putasſet.

VI.

(z) Lauterbach. de pec. aduent. irreg. §. 22. disp. academ. vol. III. p. 306.

(a) Berger. oec. iur. l. I. t. 4. §. 4. n. 1.

(b) Reform. polit. de an. 1548. et 1577. tit. 32. Reform. Francof. P. VII. tit. 1. §. vlt.

(c) Wilduogel. reſponſ. 210. n. 6.

(d) Berg. oec. iur. l. I. t. 4. §. 10. n. 5.

VI.

Ex his proinde ſequitur, vt pater tutor vel curator liberorum nomine in iudicio agere nequeat absque tutorio vel curatorio. Id quidem negat Carpzouius: (f) ſed cum praecipua eius ſententiae ratio ſit patria poteſtas, eam vero iam refellerim, et reliqua, quibus vtitur, argumenta de peculio aduenticio ordinario accipienda ſint: non eſt, quod in diuerſam transeam ſententiam. Quoniam vero leges patrem ſine mandatu agere permittunt, (g) in primo termino, praeſtita cautione rati, vel, ſi filii nomine actionem patiatur, iudicatum ſolui, erit admittendus; id quod a patre peculium caſtrenſe adminiſtrante exigitur. (h) Neſcio vero, an fora noſtra iure recepto ſint benigniora. Vbi autem pater impeditur, quo minus ipſe agat, actor conſtituendus eſt. Alia ratio eſt patris peculium adventicium ordinarium adminiſtrantis. Nam is procuratorem conſtituit. (i)

VII.

Atque ob eandem rationem ad repertorium, quod inuentarium vulgo appellatur, ſeu ſpecificationem iuratam conficiendam eſt obligatus. (k) Qua

(e) Reſponſor. l. V. t. 8. r. 84.
(f) l. c. n. 10.
(g) L. 35. pr. D. procurator.
(h) l. 17. §. vlt. D. de caſtr. pec. Cocceii ius controuerſ. ciu. tit. de pec. q. 8.
(i) Leyſer. meditt. ad pand. ſpec. 164. n. 2.
(k) Berger. oecon. iur. l. c. §. 4. n. 1.

Quae quidem in re alia ſentire videntur Mynſingerus (l) et Engelbrechtius. (m) At vero hos de peculio aduenticio ordinario agere, e legibus, quas ſubiiciunt, intelligitur. A bonis vero aduenticiis regularibus argumentum ducere non licet hac in quaeſtione, propterea, quod pater ea iure patriae poteſtatis adminiſtrat, fructus eorum percipit, eamque ob cauſam rationes non reddit. (n) At irregularia ipſius tanquam tutoris legitimi adminiſtrationi ſubiiciuntur, et quia fructus non percipit, rationes reddere tenetur. (o) Quae ſingula euidentisſime docent, inuentarium a patre eiusmodi res adminiſtrante iure meritoque exigi, praeſertim cum leges eius confectionem omnibus ac ſingulis tutoribus et curatoribus legitimis iniungant (p) et pater liberorum emancipatorum tutor ad idem ſit obligatus. (q) Pater quoque peculium aduenticium ordinarium male adminiſtrans, vt inuentarium edat, vel conſignationem rerum peculiarium iureiurando confirmet, cogitur. (r) Neque

(l) Cent. II. obſ. 93. n. 4.
(m) Compend. iurisprud. tit. de admin. et peric. tut. §. 14.
(n) Carpzou. P. I. c. 11. d. 5. n. 1. ſeqq. Stryk. vſ. mod. pand. tit. de adminiſtr. et peric. tut. §. 19.
(o) Tiraquell. ad l. ſi vnquam C. de reuoc. donat. p. m. 14. n. 29.
(p) l. vlt. C. arbitr. tut. Reform. polit. de a. 1548. tit. 31. §. 2. 3. Item de a. 1577. tit. 32. §. 3.
(q) Berger. oec. iur. l. I. t. 4. §. 4. n. 1.
(r) Carpzou. reſponſ. l. VI. t. 7. r. 69. n. 13. P. Mullerus de euerticulo ſuſpic. c. III. th. 15.

que mater vel auia liberorum tutrices a confectione inuentarii sunt immunes. (s) Quare nullum est dubium, quin Lauterbachio, (t) Strykio (v) et Ludouico (x) adsentiendum sit, qui a patre peculium aduenticium irregulare administrante inuentarium conficiendum esse existimant. In Saxonia tamen electorali aliud ius introductum. (y) Ceterum vt a patre inuentarium exigatur, patriae nostrae antiquissimis legibus consentaneum est. Nam in legibus Wisigothorum haec sunt. (*) *Quod si pater nouercam superduxerit, quia valde indignum est, vt filii eius, patris potestate vel gubernatione relicta, in alterius tuitionem deueniant, filios suos pater ille, qui nouercam induxerit, non relinquat; sed filios et res eorum iuxta superiorem modum tuitionis ordine regat. Ita tamen, vt inuentarium de rebus filiorum suorum manu sua conscriptum coram iudice vel heredibus defunctae mulieris strenue faciat, et tali se placiti cautione in heredum illorum nomine constringat, quibus tutela ipsa pertinere, si pater defuisset, legitime poterat: vt nihil de rebus filiorum suorum euertat, sed filiorum suorum vitam sollicito voto vel actu seruare intendat,*

(s) Carpzou. P. II. c. 11. d. 5. Stryk. vs. mod. pand. tit. de admin. et peric. tut. §. 13.

(t) de pec. adu. irreg. §. 22. disp. acad. vol. III. p. 306.

(v) adnott. ad Lauterbach. p. 259.

(x) vs. pract. distinct. iuridic. P. II. tit. de pec. p. m. 17.

(y) decis. nouiss. 21.

(*) l. IIII. t. II. l. 13.

tendat, et res eorum absque aliqua perditionis diminutione tuendas accipiat; ſi tamen voluerit.

VIII.

Omisſo autem inuentario rerum peculiarium conſignatio iureiurando eſt confirmanda; id quod etiam a matre tutrice exigitur. (z) Iure vero Saxonico electorali aliud introductum, quippe quo liberi a patre ſacramento firmatam deſignationem poſtulare prohibentur. (a) Quamvis vero, quae de ſpecificatione iurata antea dixi, iuri ciuili tam ſit conſentanea, quam quae maxime: pietatis tamen ratio ſuadere videtur, vt remisſo cum matri, (b) tum patri peculium irregulare adminiſtranti iureiurando, eius deſcriptioni ſoli fides habeatur.

VIIII.

Pater vero, qui inuentarium edere, aut conſignationem rerum peculiarium iureiurando firmare recuſat, in ea conditione eſt, vt teneatur in id, quod filii intereſt, quod ex iureiurando in litem aeſtimatur. Quod ſi enim hoc a pupillo et minore contra tutorem et curatorem, (c) a filio

(z) Carpzou. P. II. c. 11. d. 7. Muller. de euertic. ſuſp. c. IIII. th. II.

(a) Stryk. caut. iuram. P. III. ſ. 3. c. 1. n. 101. p. 407.

(b) Stryk. vſ. mod. pand. tit. de pec. §. 9.

(c) l. 7. pr. D. de adm. et peric. tut. Martini comment. ad ord. proc. Sax. tit. XXXI. §. 2. n. 52. Stryk. caut. iuram. P. III. ſ. 3. c. 3. n. 143. ſeqq. pag. 506.

filio contra matrem tutricem praeſtari poteſt: (d) nihil obſtat, quo minus contra patrem in litem iuretur. Alia enim ratione fieri non poteſt, vt peculium filio ſit ſaluum, atque vt demonſtretur, quae res dolo vel culpa patris interierint. Illud vero non conſtat, vtrum iuriiurando in litem veritatis tantum, an etiam affectionis aduerſus patrem locus ſit. Quae quaeſtio ab iis, qui de iureiurando ſcripſerunt, tacita praetermisſaque eſt. Quare, quae mea ſit ſententia, hic exponam. Iusiurandum in litem affectionis tum demum a iudice defertur, cùm reus ad rem praeſtandam, vel reſtituendam obligatus dolum (e) vel culpam latam commiſit. (f) Leges vero parentibus debitum honorem et reuerentiam adeo ſaluum esſe volunt, vt quaecunque remedia, quibus ob dolum aduerſus alios experiri licet, liberis denegent. Quare, ne a iuris ratione aberremus, neue filiusfamilias, cuius bona pater adminiſtrauit, hunc doli arguere videatur, ſedulo cauendum puto, ne niſi de veritate iurare permittatur, licet dolo vel culpa lata res interierit.

X.

(d) Stryk. vſ. mod. pand. tit. de in lit. iur. §. 9. Idem caut. iuram. P. III. ſ. 3. c. 3. n. 348. ſeqq. p. 529. Heeſer. de rationib. reddend. loc. 1. n. 69. Martini comment. ad ordinat. procesſ. Saxon. tit. XXXI. §. 2. n. 55.

(e) Setſer. de iuram. l. V. c. 11. §. 7. Martini l. c. n. 22.

(f) Stryk. caut. iuram. P. III. ſ. 3. c. 3. n. 100. ſeqq. p. 500.

X.

Neque etiam a praeſtatione ſatisdationis eum omnino immunem esſe, ex his cognoſcitur verbis. (g) *Sed hoc cauſa cognita praetorem ſtatuere debere melius eſt, vtrum debeat ſatisdare patronus, liberique eius, an non: vt, ſi perſona honeſta ſit, remittatur ei ſatisdatio et maxime ſi ſubſtantia modica ſit, ſi autem patroni perſona vulgaris, vel minus honeſta, ibi dicendum eſt, ſatisdationem locum habere, vt aut modus tutelae, aut perſona, aut cauſa admittat ſatisdationem.* Dupondiis enim notum eſt, iura patronorum et parentum in plerisque conuenire, praeſertim, vbi de reuerentia praeſtanda agitur. Cum itaque iure Romano omnes tutores legitimos cogi ſatisdare, rem ſaluam pupillo fore, certum ſit, (h) neque Germaniae leges quemquam ab hoc onere exſoluant, (i) et pater, qui peculium aduenticium extraordinarium adminiſtrat, eadem, quae alius tutor, praeſtare teneatur, (k) recte concludere mihi videor, patre bonis immobilibus deſtituto hanc tutelam ſus-

F cipien-

(g) l. 5. §. 1. D. de legit. tutor.

(h) d. l. 5. §. 1. D. de legit. tut.

(i) Reform. polit. de a. 1548. et 1577. ll. citt. Stryk. vſ. mod. pand. tit. de adm. et peric. tut. §. 8.

(k) Lauterbach. de pec. aduent. irreg. §. 21. disp. academ. vol. III. p. 306.

cipiente, ſatisdationem, vel minimum promisſionem hodie esſe exigendam. Neque, quo minus exigatur, honos, qui parentibus a liberis habendus, prohibet. Non enim ipſe filius, ſed magiſtratus cauere iubet. (l) Otioſa videbitur quaeſtio haec iis, qui ſatisdationem ob hypothecam tacitam, quam leges pupillo in bonis tutoris tribuunt, hodie cesſare putant. (m) At non eſt otioſa. Nam qui in hac ſunt opinione, eos fori noſtri conſuetudo tutelas et curas posſesſoribus praediorum plerumque committendi decepit. (n) Solent quidem magiſtratus noſtri homines bene peculiatos aliis praeferre, quod posſesſione bonorum pupillus magis ſecurus redditur, quam ſatisdationibus: haud raro tamen eos dant tutores, quibus immobilia nulla ſunt bona. Vnde etiam hoc caſu ſatisdationem exigi teſtatur Bergerus (o) et Strykius (p) in iis locis, vbi cautio haec ſingulari lege vel conſuetudine non esſet remisſa, magiſtratum ſtatuere debere, vtrum cauendum ſit, nec ne, affirmat. Quid? quod Carpzouius, (q)

(l) Stryk. ad Lauterbach. p. 647.

(m) Regnerus cenſ. Belg. ad l. 8. C. de bon. quae lib.

(n) Stryk. vſ. mod. Pand. tit. rem pup. ſalu. fore. §. 2.

(o) Oecon. iur. l. I. t. 4. §. 9.

(p) vſ. mod. pand. l. c. §. 9.

(q) P. II. c. 10. d. 9.

(q) Heeſerus, (r) Lauterbachius (s) et Bergerus (t) ſolidis docent rationibus, deficientibus bonis immobilibus, a patre bona aduenticia ordinaria male adminiſtrante, ſatis peti.

XI.

Praeterea officium patris tutoris et curatoris poſtulat, vt rationes actus ſui conficiat et filio reddat: (v) Quidni enim has reddat, qui res alienas, e quibus vſumfructum non percipit, adminiſtrat? Praeſertim cum in peculio aduenticio ordinario, non quidem de fructibus, ſed tamen de ſubſtantia reſpondere teneatur. (x) Quid eſt, quod patris conditionem meliorem eſſe ſtatuamus, quam matris, quam a rationibus reddendis iura non liberant. (y) Vt itaque iure ciuili communi patrem ad rationes redendas obli-

(r) de rationib. reddend. loc. I. n. 80.

(s) de pec. aduent. irreg. §. 22. disp. acad. vol. III. p. 305.

(t) Reſponſor. P. I. r. 128. p. 229.

(v) Tiraquellus ad l. ſi vnquam C. de reuoc. donat. p. m. 14. n. 29. Brunnemann. ad l. 4. C. de bon. quae lib. n. 15. Heeſer. de rationib. reddend. loc. I. n. 73. ſeqq. Lauterbach. de pec. aduent. irreg. §. 22. disp. academ. vol. III. p. 306. Regner. Cenſ. Belg. ad l. 8. C. de bon. quae lib.

(x) Heeſer. l. c. n. 68.

(y) Carpzou. P. II. c. II. d. 5. Heeſer. l. c.

obligari certum eſt: ita ius Saxonicum prouinciale contrarium ſancire videtur his verbis, (z) *wo aber der Vormund auch Erbe mit iſt, ſo darf er niemanden des Kindes Gut berechnen, noch Bürgen ſetzen.* Carpzouius, (a) qui verba iſta de rationibus quotannis reddendis accipi vult, tutorem legitimum finita demum tutela rationibus obnoxium eſſe arbitratur. Gloſſa Germanica tunc demum rationes non eſſe reddendas dicit, ſi tutori indiuiſum cum pupillo eſſet patrimonium. Ego vero, ne hanc quidem explicationem ſequendam, puto. Nam apud Saxones moris olim erat, vt tutor legitimus, praeſertim ſi pupillo eſſet ſucceſſurus, bonis pupilli frueretur. (b) Quare abſonum videbatur, rationes ab eo exigere, qui reliqua non reſtituebat. Sed id hodie vſu non ſeruatur, propterea, quod tutela vſufructuaria olim ſublata eſt. Atque hanc ob cauſam non eſt, quod ius Saxonicum a ciuili hodie diſſentire putemus.

XII.

Quae vero de confirmatione, ſatisdatione, inuentario et rationibus a me expoſita ſunt, ea ces-

(z) lib. I. a. 23.

(a) P. II. c. 11. d. 5. n. 7.

(b) Heinecc. clem. iur. Germ. l. 1. §. 353. Reiſe fundam. tut. legit. §. 10.

cesſare puto, ſi pater peculium aduenticium ordinarium adminiſtrans vſumfructum filiofamilias remiſerit. Licet enim hoc caſu aduenticio ordinario qualitas extraordinarii concilietur, vt ſupra (c) dictum eſt: ea tamen mutatio ratione fructuum tantum accipienda, in ceteris iura patris ſalua manere credendum eſt, quia omnis renunciatio eſt ſtricti iuris.

XIII.

Vt dolus creditoris, qui disſimulato debito curam minoris ſuscipit, nominis iactura vindicetur, leges praecipiunt. (d) An vero poena haec ad patrem tutorem aut curatorem extendenda ſit, iis expresſe non continetur. Attamen Carpzouio adſentiendum puto, qui ad patrem eam non pertinere arbitratur. (e) Primo enim, matrem tutricem iacturam debiti non facere, dicitur: (f) deinde ratio legis, ne curatoribus decipiendi et circumueniendi occaſio praebeatur, paterno amori conſentanea non eſt. Vt autem ex iis, quae ante a me dicta ſunt, apparet, leges parentibus, doloſe agentibus, nul-

(c) c. II. §. 8.

(d) Nou. LXXII. c. 4. 5. auth. minores C. qui dare tut. vel curat. posſ.

(e) Reſponſor. l. V. t. 8. r. 88. n. 3.

(f) auth. ad haec C. quando mulier off. tut. fungi pot.

lum plane patrocinium praeſtare: ita, ſi de patris dolo conſtat, legum ſeueritas poſtulare videtur, vt poenae iſti locus relinquatur. Idem de debito poſt ſusceptam tutelam, ſeu curam clam adquiſito eſt ſtatuendum. (g) Eadem quoque eſt ratio tutoris et curatoris actionem aduerſus pupillum ſeu minorem ementis. Nam eiusmodi emtionibus circumſcriptionibus pupillorum et adoleſcentum anſa praeberetur, niſi leges eas amisſione nominis emti coërcerent. (h) Quia vero parentum fides ſuſpecta non eſt, recte Sandius ſtatuit, (i) his actiones adverſus liberos, quorum bona adminiſtrant, omnino cedi poſſe.

XIIII.

Quae cum ita ſint, per ſe quisque facile perſpiciet, patris peculium aduenticium irregulare adminiſtrantis poteſtatem vix ab ea differre, quae cuique tutori curatorique concesſa eſt. Proinde ea libertate deſtituitur, quam patri adventicia ordinaria adminiſtranti Iuſtinianus permiſit. (k) Res itaque filiifamilias peculiares vendere, permutare, donare non poteſt, neque pignoris

(g) Carpzou. l. c. n. 14.

(h) Nou. LXXII. c. 5.

(i) de actionum cesſione c. IIII. n. 25.

(k) l. 6. §. 2. l. vlt. §. 3. 4. C. de bon. quae lib.

gnoris vel hypothecae nomine obligare, neque in feudum vel emphyteusin concedere, neque servitutem iis imponere. Verum alienatione ipsi non plane est interdictum, modo caueat, ne bona immobilia sine causae cognitione et iudicis decreto distrahantur; (l) id quod in alienatione rerum pupillorum et minorum necesse est, (m)

XV.

Patrem aduenticia regularia vendentem de euictione cauere oportere, ob L. I. in f. C. *de bon. mat.* nonnulli statuunt. (n) Idem vero de patre aduenticia irregularia vendente dicere dubito. Nam, vt Carpzouius obseruat, (o) diversae sunt de aduenticiis regularibus ICtorum sententiae. Negantes in lege modo dicta consilium tantum emtoribus rerum aduenticiarum dari, contendunt; id quod admodum verisimile, ob verba: *et emtori, si velit, fideiussorem licebit*

(l) l. 7. §. 2. D. de reb. eor. qui sub tut. l. 3. C. de praed. et al. reb. minor. Simoncell. de decretis l. III. t. 8. n. 1. adde n. 13. Tiraquell. ad l. si vnquam C. de reuoc. donat. in praef. n. 31. p. m. 15. Regnerus Cens. Belgica ad l. 8. C. de bon. quae lib.

(m) Simoncell. de decret. praef. n. 86. Carpz. P. II. c. 11. d. 28. Stryk. C. C. f. I. c. 3. §. 18. 19.

(n) Carpzou. responsor. l. V. t. 6. r. 43. n. 18. 19.

(o) l. c.

bit accipere. Deinde pater aduenticia extraordinaria non ſuo, ſed filiifamilias nomine tanquam tutor vel curator vendit. Tutores autem et curatores finito officio non conueniuntur. (p)

XVI.

Ne quid vero de patre filiifamilias tutelam ſeu curam gerente et peculium aduenticium extraordinarium adminiſtrante relinquatur indiscusſum, aliam proponam quaeſtionem, ſi is cesſauerit in distractione rerum, quae tempore depereant, aut peculium aere alieno liberare ſuperſederit, an ſuum faciat periculum? Tutores (q) et patrem aduenticium ordinarium adminiſtrantem damnum tali modo datum leges expresſe iubent reſarcire. (r) Dubium ergo non eſt, quin id, quod in peculio ordinario ſcriptum eſt, et in extraordinario obſeruandum ſit. Atque cum tutor (s) aeque ac mater, (t) qui pecuniam pupilli non crediderunt, quamvis esſet, cui commode crederent, in vſuras convenia-

(p) l. 1. C. quando ex facto tut. vel cur.
(q) l. 7. §. 1. D. de adm. et peric. tut.
(r) l. vlt. §. 4. C. de bon. quae lib.
(s) l. 7. §. 3. l. 13. §. 1. D. de adm. et peric. tut. Struu. ſynt. iur. ciu. ex. XXXI. th. 27.
(t) l. 24. C. de vſur.

veniatur, patrem quoque vſuris plectendum esſe videtur, qui, cum potuisſet, pecuniam filiifamilias foenori non dedit.

XVII.

Patri quoque transigere licet; (v) ſeruata tamen diſtinctione inter bona mobilia et immobilia. Quod ſi enim res immobilis eaque, vt Leyſero placet, (x) a filiofamilias posſesſa per transactionem in alium transferenda, magiſtratus decreto opus eſt, (y) ſine quo neque permutatio aut donatio valet. (z) Simonellus quidem eos vapulare putat, (a) qui ſine decreto rem adoleſcentis donari posſe negant; propterea, quod minor ſine iuſta cauſa donare legibus prohiberetur, neque iuſta aliqua posſet fingi. Non eſt vero, quod erroris iſtos arguat. Adſunt iuſtisſimae cauſae, puta dotis, (b) alimentorum, (c) remunerationis, (d) aliaeque

F 5 legi-

(v) arg. l. 54. §. vlt. l. 56. §. 4. D. de furt.

(x) meditt. ad pand. ſp. 333. m. 16.

(y) Gail. l. II. obſ. 72. n. 1. ſeqq. Tiraq. ad l. ſi vnquam C. de reuoc. donat. praef. n. 31. p. m. 15. Simoncell. de decret. l. II. t 6. n. 103.

(z) Gail. l. c.

(a) l. c. praefat. n. 116.

(b) l. 12. §. 3. D. de adm. et peric. tut.

(c) Brunnem. comment. ad l. 12. D. de adm. et peric. tut.

(d) Brunnemann. l. c.

legibus probatae. (e) Pari modo a patre tutore vel curatore compromittente iudex eſt adeundus, ſi de re immobili ad arbitrum eatur, quia idem tutoribus et curatoribus quibuscunque iniunctum eſt. (f) Ac quoniam oppignoratio ſpecies alienationis eſt, eamque ob cauſam tutores curatoresque rem pupilli vel minoris pignori daturi magiſtratus decreto indigeant; (g) ſequitur, vt patri eodem ſit opus. Neque aliter ſentiendum de datione in ſolutum, (h) vt et de ceſſione bonorum. (i)

XVIII.

Tametſi vero patris poteſtatem, ab ea, qua quicunque tutores et curatores vtuntur, parum differre dictum: inter hos tamen et illos hoc intercedit diſcrimen, quod patre alienante exactiori cauſae cognitione non eſt opus, ſed praetor pronior esſe debet. (k) Cuius legis non alia poteſt dari ratio, quam quod pater omnem ſuam curam in ſalute liberorum defigere creditur,

(e) l. 1. §. 2. D. de tut. et rationib. diſtrah.
(f) Simoncell. l. c. l. II. t. 6. n. 71. Struu. ſynt. iur. ciu. ex. VIII. th. 98.
(g) tit. C. de praed. et reb. minor. tit. D. de reb. cor. qui ſub tut.
(h) Simoncell. l. c. l. II. t. 6. n. 121. ſeqq.
(i) Simoncell. l. c. n. 126. ſeqq.
(k) l. 7. §. 2. D. de reb. cor. qui ſub tut.

ditur, (l) eamque ob caufam peculiarium bonorum magis rationem habere videtur, quam tutor aut curator extraneus. Maior tamen eft poteftas patris, qui rem ad peculium aduenticium ordinarium pertinentem alienat. Huic, fi rem immobilem vendit, vt peculium aere alieno liberet, decreto non opus eft. (m)

XVIIII.

Quoniam igitur ex iis, quae de patris peculium aduenticium irregulare adminiftrantis poteftate propofita funt, apparet, certos ei limites esfe pofitos: fequitur, vt is iure Romano acceptum ferre nequeat, (n) quia acceptilatio olim erat actus legitimus; (o) nemo vero alieno nomine lege agere poterat. (p) Aft cum haec Romanorum ICtorum commenta in Germania nunquam locum inuenerint, fed pactum liberatorium apud nos acceptilationis vim habeat: (q) hodie patrem aeque ac tutorem acceptum ferre

(l) l. 7. pr. C. de curat. furiof.

(m) Brunnem. ad l. 7. D. de reb. cor. qui fub. tut. n. 4.

(n) arg. l. 13. §. 10. D. de acceptilat.

(o) l. 77. D. de R. I.

(p) l. 123. pr. D. de R. I.

(q) Carpzou. P. II. c. 19. d. 17. Stryk. vf. mod. pand. tit. de accept. §. 1. Idem Caut. contr. f. IIII. c. 3. §. 2.

ferre videtur. (r) Non enim omnis donandi facultas tutori curatoriue ademta. (s) Caueat vero pater, ne ſit benignior, neue ſine cauſa legibus probata ferat acceptum. Quo refero, ſi pater tutor ſororem aut fratrem filii ſui inopia laborantem obligatione liberauerit, quia, vt his necesſaria ad victum praeſtentur, aequitatis ratio ſuadet. (t)

XX.

Pupillum auctore tutore adquirere, notisſima res eſt. An ergo filiusfamilias auctore patre? Et magis eſt, vt iure Romano non adquirat, (v) quia pater ob ius adquirendi in rem ſuam auctor esſe non poterat, (x) vel, id, quod Borcholtenio placet, (y) quia filio nulla aduerſus patrem erat actio. Quia vero peculiorum concesſione ius antiquum mutatum eſt, pater non vt pater, ſed vt tutor legitimus bonorum adventiciorum, interpoſita auctoritate, filio adquirere

(r) Strykius ad Lauterb. p. 643.

(s) l. 12. §. 3. l. 13. §. 2. D. de adm. et peric. tut. l. 4. C. de praed. et al. reb. min.

(t) d. l. 13. §. 2. D. de adm. et peric. tut.

(v) §. 9. I. de inutil. ſtipul. Goedd. de contr. et committ. ſtip. c. VII. n. 66. Borcholten. de verb. obligg. c. IIII. n. 69.

(x) Vinn. et Ludwell. ad d. §. 9. n. 5.

(y) l. c.

rere poteſt, (z) id, quod inde elucet, quod filio patre auctore hereditatem adire, legibus Codicis eſt conceſſum. (a) Qua de re hodie non eſt dubitandum, propterea, quod moribus receptum, vt alius alii adquirat, atque vt tutores hodie omnia ipſi peragant. Quare, quod Strykius contracturo cum filiofamilias impubere ſuadet, (b) vt contractum a patre vel ſuo vel filii nomine iniri curet, ad patrem tutorem pertinere non puto. Id vero iuri procul dubio magis eſt conſentaneum, quod Tiraquellus monet, (c) vt pater adminiſtrator bonorum filii contracturus, ſe vt adminiſtratorem contrahere declaret, quia in dubio quis actum proprio nomine facere putatur.

XXI.

Ceterum tutela haec curaue legitima iisdem fere modis tollitur, quibus alias tutela curaue disſolui ſolet, id eſt morte tam naturali, quam ciuili, pubertate, aetate maiori. Vtrum vero remotione finiatur, nec ne, in aprico non eſt. Tutores legitimos accuſari poſſe, patronum quo-

(z) Vinn. et Ludwell. dd. ll. Borcholten. d. l. n. 6. Lynker. anal. iur. vniu. ad. I. l. III. t. 20. §. 9.

(a) l. 18. C. de iure delib.

(b) Caut. contract. ſ. I. c. 2. §. 28.

(c) de retractu lignag. p. m. 300.

quoque ſuſpectum fieri, leges docent. (d) Patroni vero cum parentibus iura pene omnia habent communia; ea certe, quae oriuntur e pietate. Vnde miror, Vinnium negare, patrem poſſe ſuſpecti accuſari. (e) Vbi vero pater non ex fide gesſit, vt verbis mitioribus accuſetur, reuerentia ſuadet. Neque etiam iure Romano ipſi filio accuſare licuiſſe videtur, (f) quippe quo liberti ab accuſatione patronorum repelluntur. Multo minus pater ſuſpectus priuari plane tutela ſeu cura poteſt, ſed potius curator ei adiungendus, quam notata fide et exiſtimatione remouendus. (g) Sunt tamen, qui diſtinguendum eſſe dicant, inter patrem male adminiſtrantem omittendo et committendo. Illum cogendum ad reſarciendum damnum, hunc eſſe remouendum arbitrantur. (h) Alii eo procedunt, vt patrem aduenticia regularia male adminiſtrantem, ſi magna adſit cauſa, tutela ſeu cura priuandum eſſe dicant. (i)

XXII.

Veniente quoque die, ſeu exiſtente conditione

(d) l. 1. §. 5. D. de ſuſpect. tut. et curat.
(e) ad §. 2. I. de ſuſp. tutor.
(f) arg. l. 3. §. 1. D. de ſuſpect. tut. vel curat.
(g) arg. l. 9. D. de ſuſp. tut. vel curat.
(h) Tiraquell. de poen. temperand. c. XXXXIIII. n. 48.
(i) Gothofred. ad l. 6. C. de bon. quae lib.

tione tutelam curamue in bonis aduenticiis extraordinariis cesſare, conſtat. Nam cum teſtatori aut donatori, patre praeterito, quemcunque tutorem, (k) aut hodie curatorem, (l) dare liceat; non eſt dubium, quin diem vel conditionem adiicere ſit permisſum. Excuſationem etiam inter modos tollendae tutelae curaeue huius referri opportet, qua patrem vti posſe, ideo certum eſt, quod leges ipſi inuito adminiſtrationem deferri noluerunt. (m) Neque tamen, vt pater ſe excuſans cauſam alleget, necesſe esſe videtur: ſed ſufficit declarasſe, ſe nolle tutelam ſeu curam ſuscipere. Multum autem intereſt, vtrum pater bona aduenticia regularia, an irregularia adminiſtret. In illis enim adminiſtratio ſublata demum patria poteſtate, in his vero XXV. vel in Saxonia XXI. annorum aetate finitur. (n) Emancipatione vero non tollitur, quia pater filii emancipati tutor legitimus eſt, (o) ideoque in his bonis, licet ſoluta patria poteſtate peculii nomen amittant, tutela ſeu cura ad eum pertineat, necesſe eſt. Qua in emancipatione alia eſt ratio peculii

(k) Nou. CXVII. c. 1. §. 1.

(l) vid. Stryk. vſ. mod. pand. tit. de tutel. §. 7.

(m) l. vlt. §. 1. C. de bon. quae lib. Nou. CXVII. c. 1.

(n) Nou. CXVII. c. 1.

(o) l. 3. §. vlt. D. de legit. tutor.

culii aduenticii ordinarii, alia extraordinarii. In illo pater ob beneficium in filium collatum dimidiam vſusfructus partem, quem integrum antea perceperat, retinet, non vero in hoc; propterea quod nullum ius vtendi fruendi his bonis ipſi vnquam fuit.

XXIII.

Neque etiam pater ad ſecunda transiens vota tutela priuatur, tametſi mater hanc ob cauſam illam amittat. (p) Cuius quidem diuerſitatis ratio haec eſſe videtur, quod foeminae amori erga nouos maritos plus iuſto indulgere creduntur, ideoque verendum, ne, ſi tutela ipſis committatur, liberorum bona aut negligant, aut diſſipent. Viri autem cum maior ſit conſtantia, pro liberis non eſt metuendum.

XXIIII.

Hoc quoque loco non alienum erit quaerere, an pater filium, qui peculium aduenticium irregulare habet, alere teneatur. Iure ciuili non modo patri, ſed et matri, imo adſcendentibus tam paternis, quam maternis onus alendi libe-

(p) Lynker. anal. iur. vniu. ad D. l. XXVI. t. 4. th. 26.

liberos impositum est; (q) modo hi se exhibere nequeant. (r) Si ergo filius filiaue peculium aduenticium etiam ordinarium possidet, pater, vel reliqui adscendentes alimenta praestare non debent, nisi peculium necessariis sumtibus non sufficiat; quo casu parentes ad alendum in subsidium sunt obstricti. (s) Numquid vero pater administrans peculium huius generis filium e re eius aluisse videtur? Carpzouius statuit, (t) patrem e peculio filium aluisse putandum esse, ideoque eum audiendum, si repetere velit alimenta. Quod si vero legem,(v) qua sententia haec nititur, euolueris, cognosces, Carpzouio non esse temere adsentiendum. Dicit quidem iureconsultus, *igitur in re facti facilius putabo; auiam vel heredes eius audiendos, si reputare velint alimenta:* sed addit statim, *maxime, si etiam in ratione impensarum ea retulisse auiam apparebit.* Cum qua lege conferenda alia, cuius haec sunt verba: *si paterno affectu priuignas tuas*

G *aluisti,*

(q) l. 1. §. 15. l. 5. pr. §. 1. 2. 3. 4. 5. l. 7. D. de agnosc. et alend. lib.

(r) l. 5. §. 7. D. de agnosc. et alend. lib. ibique Gothofred.

(s) arg. l. 5. §. 7. D. de agnosc. et alend. lib.

(t) P. II. c. 10. d. 28. Responsor. l. VI. t. 7. r. 71. n. 11.

(v) l. 34. D. de negot. gest.

aluisti, seu mercedes pro his aliquas magistris expendisti, eius erogationis tibi nulla repetitio est. Quod si repetiturus ea, quae in sumtum misisti, aliquid erogasti, negotiorum gestorum tibi intentanda est actio. Insigne sane ex hac lege peti potest argumentum. Nam si leges vitricum eos repetere nolunt sumtus, quos in priuignos fecit, nisi animo repetendi impenderit: sequitur, vt pater, quem ad alendum tam diuina, quam humana iura obligant, e sua potius, quam e filii re alimenta erogasse censendus sit; modo de contraria eius voluntate non constet.

XXV.

Facile itaque erit, ex his colligere, patrem, vt sumtus studiorum filio, qui peculium eiusmodi habet, suppeditet, cogi quidem non posse; eum vero, si erogauerit, neque protestatus fuerit, neque in rationes retulerit, e suo praestitisse credi. Contrarium quidem Carpzouio (y) et Strykio (z) placet: sed horum dissensum non est, quod curemus. Nam iureconsultus expresse

(x) l. 15. C. de negot. gestis.
(y) P. III. c. II. d. 19. n. 6.
(z) de succ. ab intestat. d. XI. c. 3. §. 21.

ſe dicit: (a) *Cum pater curator ſuae filiae ſui iuris effectae dotem pro ea conſtituiſſet, magis eum quaſi patrem id, quam quaſi curatorem, feciſſe videri.* Et Iuſtinianus diuerſas iureconſultorum ſententias conciliaturus ita loquitur: (b) *Vtramque igitur dubitationem certo fini tradentes ſancimus, ſi quidem nihil addendum exiſtimauerit, ſed ſimpliciter dotem, vel ante nuptias donationem dederit, vel promiſerit, ex ſua liberalitate hoc feciſſe intelligi, debito in ſua figura remanente. Neque enim leges incognitae ſunt, quibus cautum eſt, omnino paternum eſſe officium, dotem, vel ante nuptias donationem pro ſua dare progenie:* Atque id hodie ſeruatur vſu. (c) Sumtibus vero ſtudiorum leges plus fauent, quam doti aut donationi propter nuptias. Strykius ab alimentis potius vult duci argumentum, quam a dote ob rationem, quod illa necesſario esſent praeſtanda, neque conferrentur, non vero haec. Attamen ſumtus ſtudiorum non magis necesſitate exiguntur, quam dos, ideoque veriſimile eſt, patrem filium muſis vouentem, ſi ſumtus ſuppeditat,

(a) l. 5. §. 12. D. de iur. dot.
(b) l. 7. C. de dot. promiſſ.
(c) Mynſing. obſeruatt. cent. 5. obſ. 32. Berger. Reſponſor. P. I. r. 163. p. 284.

ditat, e ſua arca hos erogasſe. Mea quoque opinio iis, quibus de dote vtitur Mynſingerus argumentis, (d) confirmari quodam modo poteſt. Sunt autem haec. Si quis duobus nominibus obligatus, ſuo et alieno (e. g. fideiusſorio) quoties non dicit, quod debitum voluerit ſolutum, ſuo nomine cenſetur ſoluisſe. Porro, ſi quis ex diuerſa cauſa debeat, e duriori et mitiori, neque commemorat, in quam cauſam ſoluat, ſolutum in duriorem cedit. Iam vero pater duobus nominibus eſt obligatus, ſuo et filii, cuius bona adminiſtrat: deinde durius eſt obligatus officio paterno.

XXVI.

Ex his quoque conſtat, patrem, licet ad dotandum iure ſit obligatus, (e) vt tamen dotem pro filia, quae eiusmodi peculium, de quo loquimur, adquiſiuit, conſtituat, compelli non posſe. (f) Neque etiam frater peculiatus, vt ſorori dotem det, aut filius matri, necesſe eſt: (g) niſi in ſubſidium. (h)

XXVII.

(d) l. c.
(e) l. 19. D. de R. N.
(f) Carpzou. P. II. c. 42. d. 13.
(g) l. 12. §. 3. D. de adm. et peric. tut.
(h) Brunnemann. ad d. l. 12. §. 3. D. de admin. et peric. tutor. n. 4.

XXVII.

Vt autem lege tam naturali, quam ciuili parentes ad alendos liberos ſunt obſtricti: ita parentes egenos a liberis ali oportet, (i) eaque obligatio peculium aduenticium irregulare quoque ſtringit. (k) Neque minus, ſi frater aut ſoror ſe ſuſtinere non poteſt, vt alimenta e peculio praeſtentur, pietatis eſt. (l)

XXVIII.

Ea quoque patris poteſtas eſt, vt in teſtamento ſuo liberis ita ſubſtituere posſit, vt, ſi filius heres non exſtiterit, vel intra pubertatem deceſſerit, ad heredem ſecundo gradu ſcriptum non modo ea pertineant, quae a teſtatore ad inſtitutum peruenerunt, ſed etiam quae aliunde adquiſita ſunt, (m) atque in his peculium

(i) l. 5. pr. §.13.15.16.17. D. de agnoſc. et alend. lib. l. vlt. pr. §. 5. C. de bon. quae lib.

(k) l. 50. D. ad Sctum Trebell. Carpzou. P. II. c. 10. d. 10. n. 5. Lauterbach. de pec. aduentic. irreg. §. 29. disputt. acad. vol. III. p. 308. Idem de pecul. filiorumf. th. 12. §. 7. l. c. p. 330. Idem de vſufr. pat. §. 23. n. 6. l. c. p. 1081.

(l) l. 13. §. vlt. D. de adm. et peric. tut. l. 1. §. 2. D. de tut. et rationib. distrah.

(m) l. 10. §. 5. D. de pup. et vulg. ſubſt.

aduenticium irregulare. *Neque enim ſuis bonis*, inquit Vlpianus, (n) *teſtator ſubſtituit, ſed impuberis*; quippe Romani ſuccesſioni teſtamentariae adeo fauebant, vt quouis modo cauerent, ne ab inteſtato ſuccederetur. Quod, quamuis moribus noſtris aduerſari videatur, vſu tamen fori receptum eſt. (o) Gudelinus quidem ſubſtitutiones pupillares noſtra aetate incognitas esſe putat; (p) propterea, quod patria poteſtas hodie longe esſet alia, atque olim. *Verum enim vero*, vt Schilteri verbis vtar, (q) *cum grano ſalis haec ſunt accipienda et - - - ad mores Belgicos et inferioris Germaniae reſtringenda forte. Germani enim ſuperiores agnoſcunt patriam poteſtatem maiorem, quam quae in mera reuerentia conſiſtit, et matri etiam iure naturae et gentium competit. Atque ſatius eſt, iure Romano in re teſtamentaria ſemel recepto non multum innouare, cum alias lites, quibus haec res abundat, augeantur.*

XXVIIII.

(n) l. c.

(o) Carpzou. P. III. c. 8. d. 12. Stryk. caut. teſt. c. 18. m. 2. §. 19.

(p) de iure nouisſ. l. II. c. 5.

(q) prax. iur. Rom. ex. XXXVIII. §. 93.